FLORIDA MARIANA,

SIVE

DE LAVDIBVS SACRATISSIMÆ VIRGINIS DEIPARÆ

PANEGYRICI XIII.

Auctore

MARTINO DEL RIO Societatis IESV Presbytero.

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. D. XCVIII.

D. MARIÆ S.

DEI GENITRICI. SEMPER VIRGINI.
MISERICORDIÆ MATRI. CÆLORVM
TERRÆ MARIS REGINÆ. CATHOLICÆ
ECCLESIÆ PROTECTRICI. HÆRESIVM
EXPVGNATRICI. VIRTVTVM
CVNCTARVM SPECVLO. O. M.
PATRONÆ. HOC DE COROLLIS
MVLTICOLORIBVS SERTVM
PANCARPIVM VOVIT.
PANXIT. SOLVIT. SERVVLVS
MARTINVS DELRIVS ÆTATIS XLV, ET
SALVTIS HVMANÆ ANN. M. D. XCVI.

AD NOBILEM ET CLARISS. VIRVM CAROLVM BILLEVM, SERENISS. ELECTORIS COLONIENS. ET LEODIENS. PRINCIPIS INTIMVM CONSILIARIVM, EQVITEM AVRATVM, &c.

VT *ante meum in Hiſpaniam diſceſſum hoc quicquid eſt libelli, tibi V. CL. inſcriberem, facilè amicitia, admiratio, & gratitudo, validi omnes affectus, impulerunt. Amicitia cœpit ab annis primæ pueritiæ: poſtea cöaluit ſtudiorum quadam ſimilitudine, & renouatâ ſubinde locis in variis conſuetudine; demum adamantino arctiſſimæ affinitatis nodo colligata, perpetuam dum ſpirabimus animorum conſpirationem pollicetur. Admirationem quandam, obſeruantiæ matrem, virtutes quàm magnæ tam multæ, &, quod inſolens, quàm raræ tam ferè cunctis caræ, excitarunt. Scitum illud; Principibus placuiſſe viris non infimam eſſe laudem. ita ſanè, ſi illa laude digni. nã non rarò hæc à caſu, & artibus haut bonis. Tu laudatiſſimo, & acerrimo æſtimatori bonorũ ingeniorum Erneſto Duci, S. R. Imp. Electori, places, & placebis. quia tuam in ſecundis ſuis rebus modeſtiam, in ad-*

uersis animi robur, in vtrisque fidem, amorem, sedulitatem, dexteritatemque sæpe expertus fuit. Sunt Principes regni sui caput, vt manibus vtuntur adminiculo ministrorum. Calamitoso hoc æuo labenti in his Rhenanis Mosanisque partibus Catholicæ Ecclesiæ non repertus vtilior Ernesto Principe: Ernestus verò te nactus, quo, vt manu promptâ fidaque, communes res atque fortunas sibi cum Orthodoxâ fide communes, exactâ prudentiâ & maturo consilio, *bellorum fluctibus nutantes firmaret, quassatas stabiliret, in deterius collabentes restitueret. Nil ergo mirandum si generosus & munificus grati Principis amor melioris iudicij de te sui & præcipuæ gratiæ multa indicia quotidie pergat prodere. Vidit ille & sensit te non rarò pessimorum hominum dolos, technas, & machinationes perniciosas Reip. & Ecclesiæ,* sollertiâ *mirâ eruentem prolatasq; in lucẽ* constantiâ & magnanimitate *pari dissipantem. Verùm sicut innubi die, sole micante, corporum indiuiduæ comites sunt vmbræ: sic virtutes, quo clariores sunt, densiores etiam & maiores calumnias semper pertulerunt. Tibi quis dies sine hoc conflictu illuxit? exeruit vires omnes hostis, effudit virulentia, quicquid in sinu latebat, modò clanculùm, modò palàm per mendacissimos libellos vanorum*

norum hominum, qui falsum Historicorum nomen ementiebantur. Testis narratio illa de Bonnensi clade, tibi innoxio impacta tanquam gubernatori, cui nulla tuendæ neque regendæ vrbis cura, tum illic priuatam non publicam personam gerenti, incumbebat. Tamen nulla notior, nulla crebrior aliquamdiu in Vbiis apud ignaros rerum fabula. Sed hæc & eiusmodi plurima, dum toleras, & alienâ culpam luere sustines, vicisti. illa, quod mendaciis proprium, mox euanuêre. Odiis & inuidiâ, quæcumque sunt aliis celsiora, solent vaporare: te hactenus intactum fermè & immunem ab huius flammæ afflatu, in tam edito dignitatis & gratiæ summorum Principum loco constitutum, vt præstant, pergent præstare, comitas & humanitas, quibus notorum omnium volûtates instar Ognij Herculis attraxisti. Hæ te fidæ comites tutum & securum à noxâ defendent, quoniam præclarè communem huius æui pestem deuitas, gratiâ & potentiâ in multorum perniciem, paucorum verò commodum abuti. Summæ tibi voluptati multum posse, vt prosis omnibus, noceas nemini. Rarum sine cuiusquam iniuriâ fortunas à maioribus acceptas augere, & opibus partis vti probè. Sic illas auxisti; vt queri nemo queat nec conqueratur: sic vteris, vt nemo non gratuletur; vt non tam li-

beris opes velle, quàm paternæ in Deum pietatis, *& in egenos* munificẽtiæ *egregium relinquere ſpecimẽ videaris. Nõ hæc à me fingi, norũt, qui te norunt, prædicant complures qui experti, & ,vt bona ſolent nomina, quod re nequeũt exſoluere, id grati animi notis conantur repẽdere: atq. illud præcipuè memorant, non ſolitũ te dum poſcant exſpectare; ſed occupatione cõſulere pudori, & duplex in vno beneficium conferre. Nimirum ſcis non emi paruo quod rogando quis conſequitur, nec minus de muneris dignitate preces, quàm pretium decerpere. Sed his, & quæ plura me veritas dicere iubet, ſed tuus prohibet modeſtiæ & pudoris plenus animus, prætermiſſis; mitto ad te, V. CL. munuſculum litterarium, amicitiæ noſtræ vadem, libellum* FLORIDA MARIANA. *Tredecim ſunt Panegyrici Virginis* DEIPARAE. *quoſdam cùm perorantem audires, probaſti: ne legenti minùs placeant, cogita viuæ vocis & actionis efficacitatem ſcritioni me addere nequiuiſſe. Finem habui propoſitum, nonnullam, ad pietatis ſtudium, & morum emendationem, Sodalibus Parthenicis opem adferre dicendo: mens eadem huius editionis. id ſi conſequar, benè erit, abundè laboris fructum feram. Laudem nec ſpero, nec opto. Veniam homini ab hominibus erratorum (quæ, quis fugit?)*

fugit?) precor. Materia displicere nequit, nisi quibus sacratissima Virgo displicet. Sed ego talibus Antidicomarianitis malo displicere. Rerum curam habui potiorem, quàm verborum. Illas selegi quæ Encomiastico dicēdi generi, sed cui pareneſis commixta, videbantur accommodatiores; quæque cum spirituali delectatione vtilitatem coniungerent. Quare minimè parcus fui, in iis vrgendis & inculcandis, quæ & Numinis metum & fidelem Præceptorum Dei obseruationem, & solidarum virtutum cultum animis inserere posse videbantur. Cætera quæ vel cum hæreticis sunt controuersa, vel ad historiam vitæ sacratissimæ Virginis propriè spectabant, ea in aliud tempus opusque distuli. Nam illis quidem, MARIANA POLEMICA; *his verò* SPECVLVM MARIANVM *destinaui. Scriptio & character, nisi fallor, titulo consentanea, & auctori. Hic se Theologiæ saltem candidatum, non litteratorem esse meminerat; & cùm ista diceret, non Rhetorem agebat, aut Grammaticum; sed eam sacræ sapientiæ partem, quæ de vitæ Christianæ officiis disserit, ipsam quoque scripturam diuinam publicè profitebatur. quis ergo iure damnârit, si Christianus, quàm Ciceronianus maluit audire? Si Cyprianum, Hieronymum, Pacianum, Ambrosium, nonnumquam &*

cum Tertulliano atque Arnobio, Sidonium & Althelmum, quàm cum Cicerone & Terentio Paganos alios in hortulis ſuis maluit ſpirare? Meâ quidem ſententiâ non rectè nec prudenter faciunt, qui vno Tullio cuncta metiuntur, & ipſi quoque Socrati Sicionia inducunt. Placet Iuriſconſultus cum Alpheno, Scæuola & Papiniano loquens. Placet Medicus, cuius Latinitas Muſam, Largum & Celſum ſapit. Placet Orator, qui Ciceronem; Declamator, qui Fabium & Senecam; Hiſtoricus, qui Salluſtium, Cæſarem, Tacitum; Poëta, qui in Epicis, Virgilium; in Lyricis, Horatium; in Elegis Tibullum & Propertium; in Orcheſtrâ, Cordubenſem noſtrum imitatur. Eſt ſuus cuique materiæ & ſcriptioni genius, eſt peculiaris quidam character. qui confundunt; nonne perſimiles iis, qui eumdem à milite & ruſtico, ab equite ac pedite gradus & inceſſus modum poſtulent? Optimus loquendi magiſter & dicendi Cicero, fateor: ſed eo in genere, quod attigit. quàm verò ille pauca ſcientiarum genera tractauit? quæ non attigit, cur prohibeamur ea peritiſſimis à magiſtris artium ſingularum mutuari? Licuit Melanchtoni, Eraſmo, Vallæ, & noſtri temporis Nouatoribus, neruoſum illud dicendi genus Catholicorum Patrum fugere, & clumbe quiddam verboſumque in Eccleſiam

cleſiam conari inducere, quod ex Latinis Patribus Lactantio ſoli, (nihil eo detractum antiquitati, certè parum Theologo) video placuiſſe: & quiſquam vetabit Patrum nos, verè Patrũ veſtigiis inſiſtere. ſanguinẽ fuco, aurũ orichalco tinnulo præferre? Verẽdum profectò, ne qui Patrũ characterem faſtidiunt, tandem & vulgatã veteris interpretis vtriuſq. Teſtamenti interpretationem, quia Ciceroniana non eſt, exterminent. Si hæc Latina, ſi Patres illi Latini; cur minùs, qui verbis vtuntur ipſorum? Sed vocant nos ad æuum Iulianum & Octauianum: rectè. ſi profana ſint pertractanda dumtaxat. quamuis tum etiam eorum ſententiæ acceſſerim, qui omnes illius æui ſcriptores voluendos aſſerunt, & cum delectu quædam ex proximo quoque ſæculo delibanda. Sed hos miſſos facio; qui ſibi præclarè Ciceroniani videntur; cùm Nizolij & aliorum Theſauros illos, ac Phraſes Tullij voluerint ac reuoluerint, & ingenti tandem labore præfatiunculam vel epiſtolium vnum multis hebdomadibus verbis plenum, rebus vacuum extuderint. Denique non Orationes, aut Homelias; ſed Florida ſcripſi & inſcripſi. Qui dicendi genere florido ſunt vſi, conatus ſum, quoad ſacra tractatio patiebatur, non indiligenter imitari. Panegyres ſunt quas mitto; in his Græci Iſo-

crates & Aristides præferendi; Latinis Plinius, Ausonius, Pacatus & alij laudantur; hos sacris scriptoribus, vt vites vlmis, adiunxi. Videbunt; qui, quid Panegyricum filum; quid exhortatio ad pietatem; quid florida scriptio postulet non ignorant: qui hoc nesciunt, inter Iudices ne assideant. recuso ignaros Te, V. CL. tuique similes lego, & deligo; vestrâ me censurâ non damnandum confido. Vale. Louanij, XVI. *Kal. Iun.* M. D. XCVII.

Tuus

Martinus Delrius.

IACOBI

IACOBVS PONTANVS
SOCIETATIS IESV

Floridor. lib. IIII.

Eua & Maria collatæ.

MATER prima hominum miſerrima Eua,
Te propter morimur, doloribuſque
Et malis agitamur, heu trecentis,
Tuis peſtiferum auribus venenum
Infudit maleſuadus ille ſerpens.
Hic te ad exitium dedit, virumque
Deceptum tibi, poſteroſque cunctos.
O factum male, ô ſceleſte ſerpens.
Tu mater Maria es ſecunda nobis,
Feliciſſima quotquot aut fuerunt,
Aut ſunt, aut aliis erunt in annis.
Per te viuimus atque liberamur
Malis omnimodis, boniſque magnis,
Manſuris ſimul affatim beamur.
Tuis viuificam auribus ſalutem
Immiſit Gabriel ſacratus ales:
Hinc nobis data vita ſempiterna.
O factum bene, ô canenda mater.

I. LIPSI

I. LIPSI
IN PANEGYRES MARIANAS
MARTINI ANT. DELRII
SOC. IESV PRESB.

AD PATRONAM VIRGINEM.

MAGNI TONANTIS mater & coniux ſimul,
Simulque proles, inclytum cæli decus,
A NVMINE ipſo Numen alterum bonis,
En aſpice hanc COROLLAM & hocce FLOREVM
SERTVM, quod arte comparauit Dædalâ
MARTINVS ille DELRIVS myſtes tuus,
En hìc ROSÆ cum LILIO & NARDO fragrant,
En OLEA, PALMA, VITIS ipſa Bacchica,
Affulget iſtis LVNA & AVRORÆ iubar,
SOLISQ. ſplendor. CASTRÁNE etiam & MILITEM
Videre videor! video. nempe hunc HORTVLVM
Et ſidus illucebit, & tuebitur
Vis atque miles. ô beate tu ſtili,
Acuminiſque! abite liuor & mali
Abite. Vindex huic myſtæ ſuo
PATRONA Virgo, & cum patronâ Virgine
BILLÆVS ille corculum prudentiæ,
BILLÆVS ille clarus & togâ & ſago.

IN

I.

IN FESTO CONCEPTIONIS.

PROPOSITVM.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.

CANTIC. II.

DE ſpinis,& liliis oratio futura. Floridis horrida amaris dulcia,lenibus aſpera miſcebuntur: vt quem ſpina offenderit, lilio recreetur; quem rhamni mulcarint, flores demulceant. Oſtendam DEI GENITRICEM ſacratiſſimam verum inter ſpinas lilium fuiſſe; cumque laudare illam velimus (SODALES) nec laus vlla ei gratior, aut excellentior diligenti & fideli imitatione, nobis etiam homullis inter vepres natis & educatis conandum; vt, quod poteſt, & ad ſalutem neceſſarium, ex ſpinis lilia intacta & illæſa efficiamur. *Propoſ.*

Quod, vt commodiùs quo pacto fieri queat intelligatis, nonnullæ nobis ſpinæ remoræ per hoc ſtadium currentibus, eoſque ſi à pietate excalceati non leuiter nec leniter conuulnerare ſolitæ, priùs runcandæ & euellendæ. Meminiſſe poteſtis quàm aculeatâ quidam altercatione IMMACVLATÆ VIRGINIS CONCEPTIONI olim iam vſque fruſtrà fuerint minati. Hæretici quidem, cùm nec à natiuitate proprijs rum expertem criminum ore blaſphemo deblacterant, & in ſacroſanctum Oecumenicum Concilium inſane prorſus inſaniunt: hos, quia CHRISTI tunicam inconſutilem *Spinæ.* *1. Hæretica.*

lem scindunt, rhamnis, paliuris, & caninis rubis confero. Catholici deinde quidam, præparcè liberales in matrem parum gratâ filio religiositate, de cæteris culpæ punctionibus immunem, sed *Originalis* peccati foratu læsam, mox tamẽ à Deo *sanctificatione* sanatam, nimis quàm peruicaciter pertendunt. Eos, quia CHRISTI tunicæ inhærent, nec lacerant, & falluntur veriùs quàm peccant; non sentibus illis durioribus, sed iudico similes brevius cuspidatis fruticibus aut plantis; tribulis, cacto, lappis; quæ transeuntium vestibus aut ouium velleribus tenacitate lanicarpâ adhærescunt, & vt lappacium semen vel deciduorum floscülorum pappi pallia dehonestât. Initiò quando minùs discussa quæstio, & quædam sacræ scripturæ loca claræ luci nonnihil obstruebant; poterat, vt est in Græcorum adagio, μικρόθεν ἡ ἄκανθα ἀγαθή, poterat pusilla spina bona videri: verũ vbi iam Ecclesiæ censio remouit nubeculas, quas præiudicia diuturni temporis obduxerant, pusilla illa spina induruit, vsqueadeò, vt (quod Diphilus de rebus omnibus censuit) eam quoque dies deteriorem reddiderit, & secundùm aliũd æquè vetus prouerbium, facta rigidior arido rubo, frangi quàm flecti queat facilius. Enimuerò suadente rectâ ratione, & Concilio Tridentino, atque Sixto IV. & Pio V. PP. maximis permittentibus, licebat, si vellent, & vt velint fortassis par erat, de DEI MATRE magnificentiùs sentire, & loqui. cur nolint, scio caussas prætexi: sed erit, cùm eas, duce & auspice IESV, auxiliariâ verò MARIA impugnabo. Gestit & ardet animus cunctis cum Mariæ mastigibus pedem conferre, manum conserere, rationes compulsare. Sed hoc nõ vnius opus orationis. censeo vel abstinendum istâ velitatione,

2 Minor quasi Bi. ma... ... Catholici.

Vide in adagiis Erasmi, chil. 1. cẽt. 1. & chilia. 3. cent. 3.

ne, vel bonâ fide fortiter præliandum. præuaricationis genus est, quod possis diligentiùs refellere, leuiore brachio remouere. Mecum interea, quod facitis, SODALES, firmiter tenete, coæternum Patris æterni Filium, quod potuit voluisse, quod voluit potuisse, quodque & voluit & potuit, genitrice suam ab omni natalitij peccati spinâ, priusquam conciperetur, præliberasse ac præseruasse: conceptam verò ac natam, penitus liberasse ac conseruasse à domesticis ac propriis peccatorum aculeis, quæ vel cogitationi, vel locutioni, vel actioni insidiantur; nec minùs ab extrariis vepribus, Iudæorum dico sceleratâ persecutione, hæreticorumque veterum ac nouellorum impro bissimis contumeliis; quæ conatæ multimodis eam cruentare nullo potuerunt. Nimirum vetus illud Deus confirmauit, μηδ' ἅχαρδα ἀμύξῃ τοὺς ἀγαθοὺς; optimam sanè mulierum nec spinarum spinosissima vulnerauit. Semper sicut LILIVM florens INTER aculeatas SPINAS illæsa MARIA perstitit ab istis hostibus; de quibus, quæ iam memoraui, Salomonis verba, non pauci PATRES[a] virtutis & doctrinæ laude clarissimi sunt interpretati. Præterea Saluator noster in Euangelicâ trium Matthæi, Marci, Lucæ[b] historiâ spinarum nomen attribuit sollicitudini & ærumnis sæculi, diuitiarum pellaciæ, voluptatibus & concupiscentiis huius vitæ. Fructus isti terræ cordis nostri. has parit segetes ager humanus; cui in primo parente[c] paradisi spaciis amœnis expulso Deus maledicēs, gignere iussit copiosiùs hamatos tribulos, infælix lolium, & quæ passim stēriles auenæ dominantur. Nil tale peperit nouale, *cui Dominus benedixit*, & benedicens[d] *auertit* ab eo *captiuitatem Iacob.* arcuit dolosi luctatoris, qui Maiores nostros [e]supplantauit,

3. *Originale peccatum.*

4. *Alias.*

5. *Iudaeorū persecutiones & haereticorum odia.*

Nec spinas satiabit bonos. vide chiliad. 3 cent. 6.

a Ambr. in psal. 118 ser. 5. Theodoret. & Iustus Orgelit. in c. 2. Cātic.

b Matt. 13. a. 7 Luc 8. b 14. Mar. 4. 19. b.

c Genes. 3. b. 18.

6. *Curæ, aerumnæ, cupiditates, voluptates.*

d Psal. 84. a. 1. e Gen. 3. c. 13.

Has omnes Maria spinas illæsa superauit.

plantauit, ſeruitutem: & quia huic Matrem ſeruituti nec minimo momento paſſus fuit ſubiacere: nihil periculi ab iſtis in animo aliorum fruticantibus ſentibus noſtro Lilio floridiſſimo potuit imminere. Laborum deinde, ac ærumnarum, & afflictionum quaſi ſpinoſo vallo perpetim quidem cinctum & obſeſſum fuit: Sed Lilium iſta preſſerunt, non depreſſerunt; pupugerunt, non perforarunt. Vt ſol de nubilo ſplendidior apparet; vt roſa ſucciſa retinet, vt cinnamomum attritum accumulat, vt ambra liquata & ſoluta longiùs odorem ſuum diffundit: ita Lilium noſtrum ex ſpinarum medio nitidius & pulchrius excreuit, & intaminatum à vicinià lappaginũ & graueolentium ſabinarum fragrantiæ dulcedinem ſpirans, longiùs latiùs diſperſit. Nõne id decebat Matrem Lilij incomparabilis? cuius ſpiritus (inquit Ambroſius) in patibulo crucis nec cõtritus emarcuit, nec auulſus euanuit; & lanceę punctione dirâ ſucciſus, ſacro ſpecioſior fuſi cruoris colore vernauit, mori ipſe neſcius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans. Quis igitur neget inter ſpinas *Lilium* MARIAM, quæ ſpinas omnes tam gloriosè detriumphauit? vbi ſupra.

Igitur vere inter ſpinas.

Lilium, quia tota lilij figmentatio e quadrat. Totã ſemper originalis iuſtitia conſtitit.

Videte cur *Lilium*. Vno verbulo poſſem: quia tota *Lilium*. quâ ſemel fuit initialis Iuſtitiæ cidade à ſummo vertice ad imos pedes circumdata, eam poſuit, amiſit, maculauit nunquam. Iuſtitia veſtis illa nuptialis eſt, quâ iuſti amiciuntur; quâ nudi, conuiuio magni Regis exturbati [a], tenebris exterioribus mancipantur. Stola eſt prima, quam benignus & clemens familiæ pater [b] filios degulatores ad meliorem redeuntes mentem indui iubet. nihil hac ſtolâ pulchrius. nihil hac veſte pretioſius: aurum illi, topazius, vniones & omne metallorum

a Matt. 22. b. 12

b Lucæ. 15. c. 22

tallorum gemmarumque genus collatum vilescit: ipso CHRISTO iudice, præ *Lilio* cuncta Salo-
a 3. Reg. 10. a. 5. monis gloria despicabilis, quantumuis opulentissimam Arabiæ Beatæ reginam admirationis magnitudine exanimarit. Vultis & singulas Lilij dotes in MARIA contemplari? placent in Lilio Odor, Forma, Vires. Sicut odore Lilij nihil iucundius cerebro sano & probo: ita DEI genitrice nihil fragrâtius iis, quibus animæ odoratus sagax & integer: eius odor vitæ, *Sicut odor agri pleni* b *cui benedixit Dominus*: *Sicut* c *areolæ aromatum consitæ à pigmentariis.* odoratus expers est, cui Lilium istud nihil olet. scarabeus est, cui non quàm optimè olet hæc rosa. frustra sagax est, qui suauitate odoris tam suauis non excitatur, vt & ipse similiter morum & exempli suaueolentiâ proximos perfundat. Formam Lilij color & compositio partium commendant. Color niue in flore & radice candicat; in flosculi penetralibus, auro rutilat, tingit, & inaurat tangentes; in thyrso & quæ thyrsum ambit comâ, viret smaragdo. Candor; DEIPARAE *virginitas*, non carnis tantùm, quæ, si sola, ignobilis: sed & linguæ, quæ, vt foliorum, nó multo pretiosior: sed peniti quoque cordis, quæ nobilissima. quoniam ex corde, velut radice; opera, verba, & cogitationes improbæ pullulant: nigra scilicet ex bulbo nigro folia. Aurum illud sex staminibus protensum; immensa liberalitas est DEIPARAE in totum genus humanum, & quàuis flammâ *caritas* inflammatior. Tali diues auro, tali diues argento, cur non *Spes* firmæ & erectæ sceptrum sibi, amœnum scapi virorem, vindicaret? Quàm dilecta, SODALES, Deo, puritas illibata corporis & animi? Quàm odiosa & abominabilis Deo tetra spurcitia libidinis lutulentæ! Dile-

b Genes. 27. d. 27
c Cant. 5. c. 13.

2. quia quicquid in Luce, in MARIA singulare. Lilij candidior color, forma viu. Odor Lilij, Maria mentis exiplar, Forma à colore & habitu partium. Color; candidus, aureus, viridis. Candor, castitas. Splendor auri; caritas. Viror, spes. Nobilis exemplaris, castitas.

cta cælo Lilia, quamdiu Lilia; quamdiu pura, intacta, intaminata: si attrectes; perdunt honorem, decorem perdunt, gratiam quantaquanta est deperdunt: tætutinæ & olentiæ efficiuntur. Scite vetus[a] poëta;

a Carmil. in Epithal.

„ Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
„ Intactus pecori, nullo contusus aratro;
„ Quem mulcet aurę, firmat sol, educat imber:
„ Multi illum pueri, multæ optauêre puellæ:
„ Idem, cùm tenui carptus defloruit vngui;
„ Nulli illum pueri, nullæ optauêre puellæ:
„ Sic virgo dum casta manet, tum cara suis est;
„ Cùm castum amisit polluto corpore florem,
„ Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.

Haud aliter animula misella felici puriſſimi AGNI comitatu arcetur: neque tam oleda nobis Lilia emarcida & contrita; quàm DEO, MARIAE, & Cælicolis homines quorumcunque vel corpus vel animus alienâ vel propriâ contrectatus libidine sordidefecit. Tatum refert casti pudoris candorem retinere Necessarium præterea, *Caritatis* aurum, quod dicebam in intima cordis penetralia congerere, congestumque in proximos inopes per opera misericordiæ egerere. Sine hoc auro vile illud argentum. Venale cælum, sed non nisi obryzo. *Castitas* sine *Caritate*, lampas sine oleo. Palladiæ baccæ sucus deficit? excludêre cum fatuis virginibus, audies ignotus, audies maledictus, æternis ignibus adiudicaberis. Nouimus (dicit aliquis) ista, & pernouimus, & nota credimus quia Euãgelio credimus. Maior proinde dementia: quòd quasi non credita, non cognita, non audita, quasi nihil ad nos pertinentia sic surdis auribus pertransimus, sic animis vt aquam cribro, vix admissa transmittimus. pertranseamus, transmittamus

Caritas,

tamus, vt lubet: velimus, nolimus; in eo posita salutis summa, vt PVDICITIAE togâ niueâ candidati, aurum rutilans & ignitum [a] DILECTIONIS nobis comparemus. Tum licebit asilum FIDENTIAE subeamus. aliter qui sperant, vani sunt. &, quia vani, suffundentur. quid inanius, quàm beneficia vel veniam ab eo sperare, quem quotidie offendas, cuius iustam indignationem prouocare non cesses, & quem prouocaris placare contemnas? ô dementissimam dementiam! ô vanitatum vanissimam vanitatem! Pauci tamen hunc extra stultorum numerum, in hoc albo mentium albarum non pauci sumus. plerique nos ipsos decipimus, titillamus, & falsâ fiducià circumretimus: ita ridentes, læti, vitulantes ad Orci thesaurum tendimus; illuc, vnde verè negant redire quemquam; persimiles iis, qui Sardois herbis saturi cachinnantes emoriuntur. Hæc de colore.

[a] Apoc. 3. d. 18. Spes.

Veniamus ad singulas Lilij partes. Bulbosa radix multis tunicis inuoluta; grana quoque aurea septo floris in circuitu aduersus aëris & vermiculorum iniurias vallata, CIRCVMSPECTIONEM accuratissimam significant, quâ *Virgo* beatissima perpetuò cor & labia custodiebat. hunc nobis sedulò circumspectum D.[b] Iacobus frater Domini commendans, sine illo asserit cassam omnem religionem fore quia modicum hoc membrum instar gubernę corporis humani liburnàm regit, difficile, indomitum, infrunitum, plenum veneno mortifero, cuius in manibus mors & vita nostra. Ideo tam ardenter Rex [c] Dauid hanc ori circumstantiam, hoc labiis frenum exposcebat. Caulis Lilij rigidus, enodis, erectus, FORTITVDINEM & CONSTANTIAM in præclarè gestis ac meditatis, liberam à doli atque malitiæ geniculis & interno-

Partium habitus; radix & vtriora lilij grana animant,

[b] Iac. 1. c. 19. & 26. idem c. 3. a. 2.

cui dodiēdū cor & lingua.

[c] Psalm 140. a. 3.

Caulis docet fortitudinē & perseuerantiam in bono.

diis designat. Talis erat MARIA. talésne nos etiã? conscientiæ quisque suæ sinus discutiat & euerrat. adest nobis constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi? adfulgente & arridente iniqui lucelli speculâ siue Ecclesiasticarum dignitatum, siue Ciuilium functionum, siue Mercurialium conuentionum, possumus illud contueri oculis irretortis? persistimus in bene deliberatis, neque descrimus rectè inchoata ob caussas futilissimas? nodum in scirpo non quærimus, neque spiris improbę fraudis proximos illigamus, neque maliuolentiæ hamulis vncinatis famam honorémve alienum laniamus? bene est, abunde est, si sic viuitur. Lilia sumus, Liliũ MARIAM imitamur.

Scapi & florũ folia. Quòd scapi folia, lenia & glabra tactu sentimus; quòd altum petere, quoque altiora minora, quo radici propiora maiora cernimus; quòd floris foliola & ipsa ab imo ad summum adsurgũt, & scyphi in morem compaginata labelli editioris extima leniter fibris retrorsis obliquant, dignissima sunt singula diligentiore pensiculatione. REGINAE CAELORVM animus DEVOTIONIS ardore in cælum ferebatur, mẽtis in Deum eleuatione supremos beatarum Mentium choros superabat: hominibus interea comis erat sine morositate, adfabilis sine vllâ superbiâ, familiaris sine cuiusquam offensione. Crescebant & adsurgebant in oculis Dei virtutes, quo maior his & melior, eo se magis depreciabat, sibi tanto in suis oculis despectior videbatur, proprium id veræ HVMILITATIS, solidæ virtutis: vt quo quis cælo teste perfectior, sibi se iudice imperfectior censeatur. E terrenis & sordidis curis, radice nempe cordis glebis & glareis istis tumulatâ & inuolucris vanitatum variis circumplicatâ, paullulum caput extulisti? videris

Assurgẽtia, deuotione cælipetam.

Scyphi forma labrũ reflectens, erga proximos cõmiserationem, & humanitatem.

Minora foliaque altiora, humilitatẽ in animo suo.

ubi

tibi cum Phariſæo nonnihilum ſuper alios. mox altiùs adſurgis virtute? opinione tuâ decreſces. ad ſummum ſi conſcendiſſes, cum D. Franciſco, humillimo atq ſanctiſſimo viro, & propterea ſapientiſſimo, te cunctorũ ſubpedaneum ac viliſſimum iudicares. Iſtâ ſe quiſque trutinâ appendat, iſtâ ſe decẽpedâ metiatur: vera & ineffabilis iſta ſciendi rario, quouſque in virtutum Circo quis decurrerit. Quid, quòd Lilij foliola cõtigua ſibi ſtipantur? DEI GENITRIX ſenſus omnes, cogitationeſque ſuas in Deo SALVTARI ſuo accuratè recollegerat, & in hũc orbem veluti glomerarat. Nos quia per omnia diſcurrimus, &, vt liquida ſolent, paſſiuitus diffundimur, in Rubeni illam a diram deuotionem incidimus; *effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* Peſſimi quique, dum ſubant & ſuriant vt porci, ſe per cœnum quoduis corpore effundunt. minùs degeneres; picarum & gracculorum imitantes garrulitatem, linguâ palantur. qui videntur optimi; cogitatione per valles, per colles, per ſaltus, per hortos, per prata, per ſalicta, per amnes & vaſta maria, mẽtis quadam vagâ luxuriâ & curioſitate circumuolitant. & miramur, ſi nihil proficimus? ſi ardoris interni nihil experimur? ſi pſallendo, precando, meditãdo, tepeſcimus & exareſcimus? ſtupemus quòd tam acida nobis & tædij plena diuina omnia? En mali tanti cauſſam, peſtilitatis fontem cernite, cauſſam tollite, fonti obſtruite. Summo deinde molliter relicino Lilij foliolum retorquetur: ita FONS PIETATIS DOMINA noſtra, ex illo ſuo rapidiſſimo & intenſiſſimo in Deum AMORE, in filiolos ſeruuloſque ſuos reflectitur oculo MISERATIONIS, miſeriæ generis ſui miſeretur, vult prodeſſe quantùm poteſt, & poteſt quantùm egemus. Mira namque & propè in-

Qua vera perfectio & virtutum reliquarũ regula.

Folia ſtipata, ſenſuum recollectio.

a Geneſ. 49. a 4.

Obſtruatur fons miſeriæ cordis ergà Deum.

 credibilis

Vis medica lily in corporeis morbis maxima: credibilis noſtri Lilij vis eſt ad ſalutem. Horten- Dioſco. lib. 3. c. 99. Plin. lib. 21. c. 19. & lib. 23 c. 4.
ſe illud Dioſcorides & Plinius adfirmant lepras & vitiligines emendare; neruos præciſos conſoli-
dare, ſolutos reſtringere; tam veteribus hulceri-
bus, quàm recẽtibus vulneribus opitulari; ignem
ſacrum, ne proſerpat cõpeſcere, ſerpentium mor-
ſibus aduerſari. ô vim diuinam! ô florum florem!
quid odore tuo ſuauius? quid ſuauitate tuâ candi-
dius? quid tuo cãdore formoſius? quid formoſita-
te tuâ ſalubrius? quid ſalute tuâ parabilius? ô im-
menſam Dei bonitatem, quæ tam neceſſarium
florem, tam communem & vulgarem eſſe voluit;
non in orbis aliquem angulum aut inſulas remo-
tas, non in locupletum dumtaxat hortulos ab-
ſtruſit! multum fuit terris illum credere? cælum
totum Liliis referſit, vt cæleſtis Hieroſolymæ vẽ-
Sed nihil ad ſpiritalẽ medicinam lily MARIAE ter[a] eſſet, *ſicut acervus tritici vallatus Liliis*: vt eſ- [a] Cant. 7. d. 16.
ſent AGNO ſponſo gratiſſima paſcua liligera vbi Cant. 6. a. 1.
cubaret, vbi paſceretur. Sunt illic Lilia beatę om- Cant. 7. a. 2.
nes ANIMAE, quæ ſempiterno æuo fruuntur. ta-
men hæc Lilia pulcherrima, ſpinæ innoxiæ & in-
nocuę ſunt ad noſtrũ Lilium MARIAM. ipſa flores
Cuius ſi vn ſaam, aniciers: ſaur & imi tio neceſſaria inter, ſicut LILIVM INTER SPINAS. ipſam (vt ait
Eſdras[b]) *omnipotens ex omnibus floribus orbis vnum* [b] Eſd. 5. 24.
tibi lilium delegit. Sed, nec contenta Dei munifi-
centia cælum Liliis impleſſe; puluillos iſtos cor-
dis veſtri, hanc DEIPARAE areolam, SODALITA-
TEM dico ſuæ matris, cõſerere Liliis exoptat. quis
adeò ſibi ipſi malè conſulat, vt ſpinas malit? Si Li-
lia recuſatis, ſentes ſubcreſcent. Nos miſeros (SO-
DALES) ſi Lilia non ſumus! Viderat monaſticæ
diſciplinæ decus magnus Antonius, orbẽ laqueis
oppanſum: vt vidit, exclamauit; Ah DOMINE, quis
effugiet? quæ nunc illi vox ferrea, quæ ahenea la-
tera ſufficiant, vt ſimilia per ſpinas iſtas, quibus
oppleta

oppleta cuncta, cunctorum auribus inclamet? Si nunc prophetę reuiuiscã, nõne cernerẽt Oracula sua euentu rerũ comprobata? nõne, quod Salomõ[a] præfixit; *Ecce iam totũ repleuerunt vrticæ, & superficiẽ eius spinæ operuerũt?* nõne quod Isaias;[b] *Vepres & spinæ sunt in vniuersa terra?* nõne quod Oseas[c]; *Lappa & tribulus accendẽt?* nõne quod Micheas[d]; *Qui optimus in eis, quasi paliurus; & qui rectus, quasi spina de sepe?* Adeò premimur æuo graui, & omniũ scelerum atq. malorũ sentina in hanc sæculi clausulam omnium fluxit. Spinæ[e] culpæ sunt, spinæ pœnæ, spinæ sollicitudines inquietæ, spinæ afflictiones & ærumnæ, quibus vapulamus, & porrò vapulantes vapulabundos, quia malis nos volentes videtes magis atq. magis inuoluimus: pedibus nostris laqueũ deceptionis nectimus, ferìam vitionis ceruici nostræ pangimus, & coronam de oxyacantis miseriarum grauiorum capiti nostro plectimus. Non aliud quàm rhamnus, latrones isti & prędatores; quibus nihil imperiũ aut inaccessum non aliud quàm carex, milites soluti & exleges, feroces in amicos an hostẽ timidi & ignaui, non aliud quàm senticetum à vicinia malà magnum malum. Sentes sunt hæretici; quos gaudeo & gratulor, si nullos (Ô EBVRONES) vester ager alit: spinæ, inquam, sunt hæretici & impiorum extremissimi falsi fratres POLITICI, nomine Catholici, re puri religionis vertumni, nocentiores quo ignotiores; quibus (palam denũcio) scatent vniuersa. istiusmodi paliuri, ministeria, officia, publica, priuata, sacra, profana cuncta irrumpunt & disrumpunt. Videmus, & scimus, scimus & patimur. quid exspectamus? donec *egrediatur ignis de rhamno, & deuoret habitatores Sichem conburat?* *Sichem* Hebræis humerũ, & *humerus* Scripturæ vires atq. potentiam significat.

Cum cũcta spinis referta.

a Prou. 24. 31. b Isai. 7. d. 24. c Osee c. 10. c. 8. d Mich. c. 7. d. 4.

Philo Carpathius & Ptellus in 2. c. Cant. ad verba nostri propositi.

Iud. 9. b. 15.

ficat, an igitur donec (vtinam diu!) florentis reip. istius robur & dignitatem consumat? quousque spinas istas, seu male cauto torpore, seu remissâ nimis lenitate attollimus & sustinemus? an donec à pallidulis hisce, metu malæ conscientiæ, & languidulis, quia nondum adoleuerunt, hederis, vt arborea solet adminicula, præfocemur? Imitus saltem ex animo vociferaremur, siqua salutis nostræ nobis cura superesset: Quis nos his spinis eruet? quis in hoc vepreto degat, sine vulnere aut noxâ? nullus, omnino nullus; nisi, qui lilium. Sed quomodo Lilium resistat, cuius tanta teneritudo; vt nec minimum ferat contactum cuspidis, quin perforetur? non opis hoc nostræ, non virtutis humanæ. virtutis est illius, qui dixit; *Confidite, quia ego vici mundum.* Calcauit ille vepres, & spinas istas inoffenso vestigio conculcauit. poterimus in eo nos quoque. duremus tãtùm & confidamus, vt agri Lilia spinarum in medio Deus hactenus custodiuit: custodiet istam areolam, si Lilia sumus, si Lilia conemur, si ad LILIVM illud INTER SPINAS MARIAM confugiamus; veram & germanam panacen diuino munere datam hominibus omnium morborũ animi medicinam. In ipsâ vis medicata Liliorum spiritalium nobis parata & promentibus exposita. Quem elephantiasis auaritiæ, aut depetigo Giezi obsoletauit, vel otij & acediæ dolones ad obeundam Pietatem subneruarunt; à Lilij istius radice pistillo frequẽtis Meditationis contusâ, petat medelã. Si quem marinus ille Draco spinâ lethiferâ capitalis alicuius peccati vulnerauit, vel vagus opinionum prauarum herpes occupauit; Lilij semen, vino CARITATIS mixtum plaga illinat. Si cui culpæ recentis vulnus dolet, vel hulcus altũ & cõsuetudine atq. silentio

Quarum ad tot pũctiones vitare non possumus.

Nisi tuo præsidio, & Mariæ, auxilio in te efficaciore nequeat impetrari.

Per eius spiritalia vera & virtutibus illius applicatio nem.

a Ioan. 16. v. vl.

silentio inueteratum exest; foliola melli & aceto acriori diutius incocta, PÆNITENTIAM scilicet asperiorē & diuturniorem adiungat. quin etiam salutare fuerit ex ipsis illis vepribus *Spinam-albam* carpere: quæ peccati *Memoria auersatrix* dicitur; & Dauidi iugiter obuersabatur, hac hulcus ipsum exsculpere, & saniem expungere. Conuertatur in ærumnâ, *dum spinâ cor configitur*. Bene [a] configitur, qui conuertitur; bene pungitur, qui compungitur. Optimus pænæ sensus, culpæ correctio: pessima punctura, quæ obdurat, vel vt scabiem attritus, excitat & irritat. Spinarum ista conditio. inuicem trahunt, inuicem inuncant, & simul tandem in fasciculos colligatæ, à patrefamilias cum [b] zizaniarum manipulis æternæ combustioni addicuntur. Credite, cui non possunt Christiani non credere, Prophetarum comminationi. *Sicut spinæ*, clamat [c] Nahum, *se inuicem complectuntur: sic conuiuium eorum pariter potantium: consumentur quasi stipula ariditate plena*. quod celerius aut certius flammæ pabulum stipulis aridis? idem spinis promittit [d] Isaias. *Spinæ*, ait, *congregatæ igne comburentur*. & iterum [e]; *Succendetur & deuorabitur spina eius, & vepres in die vnâ*. die scilicet illâ, die iræ, die vniuersalis iudicij & retributionis. Nec mitiorà pollicetur Gedeon, à conterendo nuncupatus, CHRISTI, teste Hieronymo [f] hac in re figura: qui non vilis plebeculæ, nō improuidæ iuuentutis, sed Seniorum & Principum Soccoth [g] corpora cum spinis tribulisque deserti contriuit.

a Bern. in Cant. ser. 48.

b Matt. 13. d. 30.

c Nah. 1. c. 10.

d Isa. 33 b. 12.

e Isa. 10 d. 17.

f in psal. 81.

g Iud. c. 8. d. 16.

Occupemus potiùs (ô SODALES) gemitibus, orationibus, eleemosynis, & vitæ innocentiâ diuinam dexteram, & hoc capitibus nostris impendens, iam iamque ruiturum, quantum apparet, exitium emendatione morum auertamus.

Alterum nos infelicissimus exitus manet.

Quem auertat Deus.

ORATIO ad Deiparam.

Tuque adeò (ô VIRGO SACRATISSIMA) flos illæsus de spinâ, punctionis expers, spinarũ triumphatrix, florum gloria; nos, vera spineta, in Lilia commuta. Nos (ô spinæ natalitiæ nescia!) spinis etiam priuis noxiæ vitæ cruentatos, & cribro crebriùs confossos, tuæ miserationis lirino inunge; foliorum tuorum vmbrâ protege, exemplorum odore recrea: quò candida in terris Lilia, & in hoc mundi dumeto flores reperti, tecum tandem in Coloniam Paradisi cælestis transcripti, æternæ vitæ arbori inoculemur: vt IMMACVLATAM tũam CONCEPTIONEM, quam in hoc exilio veneramur & credimus, in patriâ cælestis Hierosolymæ cum Angelorum choris olim celebrare felices mereamur. AMEN.

Dicta Leodici, anno M. D. XCII.

IN

II.

IN FESTO NATIVITATIS DEI GENITRICIS MARIÆ.

PROPOSITVM.

Egredietur virga de radice Ieſſæ, & flos de radice eius aſcendet. ISAIAE XI.

TRIA ſunt (DEIPARAE SODALES, vt eo vos compellem nomine, præ quo cæteri tituli dignitatum & honorum iacent vilentque) ſunt, in- *Cauſa dicendi.*
quam, tria, quæ ad hodiernam exhortationem nonnihil addunt alacritatis Iuſſio, celebritas, myſterij magnitudo. Iuſſio duplex, vna peculiaris meorum Superiorum; communis alia matris Eccleſiæ; cuius hodie præceptum audiuiſtis, vt *Natiuitatem hodiernam perpetuæ virginis genitricis Dei* MARIAE *ſolemniter celebremus*, vt *cum iucunditate* celebremus, vt *corde & animo* celebremus. Feſti celebritatem vetuſtas, & ſingularis *Celebritas.*
cuiuſdã prærogatiuæ raritas cõmendant. Quamuis enim D. Auguſtini æuo fortaſſis in Eccleſiâ totâ nondum hoc feſtum vniuerſè conſueuerat agi, quod nonnulla huius ſancti Doctoris ſcripta
Auguſt. ſerm. 11. & 12. de ſanct. ſubindicant*: tamen in Romanâ Eccleſiâ iam perſollemne fuiſſe D. Gregorij magni ab vſque temporibus, Antiphonarium ipſius & alia quædam declarant. Græci forſitan diu priùs celebrarunt: cùm & in antiquioribus eorum Kalendariis inſertum, & in nõnullarum Bibliothecarum veterum membranis à D. Chryſoſtomo, Proclo, &
Romæ in Sfortianâ. Andreâ Cretẽſi variis orationibus collaudatum

inſenia-

inueniamus. Prærogatiuæ raritas hæc est. cæterorum sanctorum, excepto CHRISTI Præcursore, dies obitus colimus: MARIAE ipsum præterea, quo in hanc lucem edita, diem Natalem. Minor iste Natali Filij, sed maior natali Præcursoris. Natalis iste genitricis Dei; anteambulonis ille. Iuda tantùm montanis ille, gaudium iste vniuerso mundo annunciauit; iis qui in terrâ, veniam: iis qui in cælo, vacuorũ sedilium restaurationem; iis qui in inferno, liberationem. Mysterij magnitudo immensa, pelagus innauigabile; cuius longitudo vsque ad nouissimum extenditur diem, latitudo terrarum implet orbem, sublimitas ad supernæ ciuitatis supremas arces pertingit, altitudo sedentibus in vmbrâ mortis & horrore tenebrarum ad intima terræ penetralia opem latura se penetrauit. Huius mysterij tam infiniti & incomprehẽsibilis, capita quædam mihi deligẽda. quod cælitus promissum. quod figuris non paucis exquisitè adumbratum. quod ad nostram imprimis institutionem aptissimè efformatum. 1. 2. 3.

Mysterij magnitudo. quæ ostenditur.

Promissio Dei.

A pollicitatione ordiamur. occurrit prima ab ipsomet auctore omnium Deo facta, in sacræ scripturæ limine. Sic enim os Domini serpentem alloquitur [a]: *Inimicitias ponã inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum.* ita namque cum vulgatâ nostrâ de B. Virgine hoc accipiunt, quattuor Ecclesiæ Doctores [b] & alij multi Patrum. Quanti facienda promissio, quæ diuino ore prolata? quæ vix condito facta mundo? quid câ diuinius? quid antiquius? Auget dignitatem, quòd hoc idem semen, & in eo benedicendas gentes, quampluries iteratâ promissione repetitum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Dauidi; sanè toties, vt putidum & inanis operæ pu-

[a] Genes. 3. v. 15.

[b] Chrys. ho. 17. in Gen. Aug. de Genes. contra Manic. lib. 2. c. 8. Amb. lib. de fugâ sæc. c. 7. Greg. lib. 1. moral. c. 38.

tem

Claud. Mar. Victor lib. 1. in Genes. Alcym. Antisiodor. lib. 3. carm. c. 6. D. Bert. ser. 2. super Miss. est Euher. Rupert. Rabanus & Beda. a c. xj. b Basil. & Cyril. in Isai. Cle. Alexan. lib. 1. Pæda. c. 7. Origen. ho. 9. in Isa. in fin. Hilar. in psalm. 2. Procop. in c. 49. Genes. Incertus ho. 30. in Mat. & Chal. Tharg. li. de carne Christi, c. 21. idē tenuit ad uer. Iud. c. 9. & lib. 3. cōtra Marcio. c. 17. & Hiero. in Isa. & in ep. ad Eustoc. de cust. virgin. Ambro. lib. 2. de Spiritu

tem loca singula recensere. Confirmarunt idem vaticinia Prophetarum, quæ tamē silentio inuoluam, præter vnum reliquis paullò illustrius: quod ego mihi nunc pro themate & scopo proposui, quò tota tēdat & dirigatur oratio. Videlicet illud nobilissimi vatis Isaiæ [a]; *Egredietur virga de radice Iessæ, & flos de radice eius ascendet.* Quod scio nonnullos totum CHRISTO tribuere; sed amplius nūc arridet Florentis Tertulliani [b] commentarius Ipse (inquit) *Christus* est *flos* de virgâ natâ de radice Iessæ. *Radix* autem Iessæ, genus Dauid. *Virga* ex radice MARIA ex Dauid. *Flos* ex virgâ, filius ex MARIA. ipse erit & fructus ventris Flos enim *fructus*, quia per florem & ex flore omnis fructus. Cur huic Afro doctissimo repugnem, cui Patrum Principes, & Ecclesiæ præcipui hac in explicatione Doctores adsentiuntur? Hieron. Ambrosius, Leo Magnus, Augustinus, & alij multi. Placētne B. Hipponensem Antistitem (nam cæteros prætereo) audire? videtur operæpretium. Virga ecce protulit, quod antè non habuit, nō radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata suco, non fœcundata seminario: & tamen, cùm illîc deessent vniuersa iura naturæ, protulit virga, quod nec semine suggeri potuit nec radice. Virga illa Aaron virgo MARIA fuit. Quòd ergo hæc virga nuces nobis produxit, imago dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in suo corpore substantiæ vnionem, corium, testam, & nucleum. In corio, caro; in testâ, ossa; in nucleo interior anima comparatur. In corio nucis, carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinem passionis. In nucleo interiorem declarat dulcedinem Deitatis; quæ tribuit pastum, & luminis submministrat officium. In testâ lignum interserens

Prophetarum.

„terserens crucis, quod non discreuit id quod foris „& intus fuit, sed quæ terrena & cælestia fuerunt „mediatoris ligni interpositione sociauit. Sic bea „tus Augustin. de hac quoque nos deinceps virgâ „disseremus.

Et typum seu allegoratum.

Figuris innumerabilibus fermè præfiguratam nouimus, sed intra virgæ nostræ septa consistendum: nec tamen eius omnia, in virgarum olim mysterio proposita prosequemur, sed duo dumtaxat minùs forsitan obuia, non minùs illustria, & Sanctorum Patrum iudicio atque interpretatione huc omnino referēda. Cur etenim dubia congeram, vel proprias vobis imaginationes meas obtrudam; quando sunt ad manum solidæ & certæ Patrum explicationes? Loquor autem de virgâ Ioseph, & de virgâ Pontificis Aaronis.

Virgæ Ioseph &

De priore Gentium Apostolus [a] Vas electionis tradit, Iacob Patriarcham animam in primoribus habentem labris, fastigium sceptri, quod gestamen erat amati eius filij Ioseph, adorasse, quo loco D. Paullus sceptrum istud *virgam* appellat, secutus Iudæorum sapientissimos [b] Lxx. qui in Genesi verterāt, τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτου; optimè (crepent quæ lubet Caluinus & Beza, sententiam loci huius omni conatu obscurātes) optimè & verissimè, dico, & aptissimè. nam & vulgata nostra in D. Paulli verbis id confirmat; quam scimus sacrosancti Concilij Tridentini auctoritate stabilitam; & multi codices Græci, vt retuli, repræsentant, qui ἐπὶ præpositione carent, & ἄυτου, non αὐτου continent: & Hebræum vocabulum ambiguæ significationis est. Si MITTA' scribas מִטָּה lectulum; sin MATTE' מַטֶּה virgam denotabit. Denique qui vulgatam hanc lectionem & interpretationem retineant, possum Doctores sacros vltra decem

sancto. c. 5. lib. 2 in Luc. c. 1. lib. de benedictione Patriarchar. c. 4 & in Apolog. Dauid. c. 16. Leo ser. 2. in Natiu. Aug. lib. 3. de Symb. ad Catechum. c. 4. & optimè ser. 3. de temp. Chrys. in ps. 22. Ephrem orat. de laud. B. Mariæ. S. Vigil. lib. 3 cōtra Eutychen. Illephen. c. 6. lib. de illibatâ Virg. B. Mariæ Bernar. non semel & alij.

a Ad Hebr. c. 11. v. 21.

b c. 47. Calu. in Genes. Beza in epist. ad Hebr.

mmerare; Græcos quinque: Chryſoſtomũ, Thotium, Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium, Gregentium: Latinos plures, Sedulium, Primaſium, Anſelmum, Haymonẽ, Eucherium, & Hugonem Victorinum: quodque caput eſt in hanc ſententiam laudauit Synodus Generalis Sept. in epiſtolà Pontif. Hadriani. Satisne hæc firma & roborata, vt nænias hæreticorum non nauci ducamus? Præuidebat prophetico ſpiritu Iacob, regnum ex Ephraim, non tàm illud temporale Samariæ; quàm ſpirituale & æternum veri Samaritani IESV Saluatoris. Alioqui, da, quæ fides illa, quam in hoc facto laudat Apoſtolus; ſi ſolita hæc adoratio; ſi nihil per illam ſpeciale nobis indicetur? Faſtigium ergo virgæ CHRISTVS adorabatur; & cum faſtigio honorabatur ipſa virga, ex quâ & per quam faſtigium aſſurgebat. Si faſtigium virgæ, figura floris Ieſſei; cur non & virga ipſa, typus virgæ Ieſſeæ?

Scribentes in B. Paull. Eucher. c. 3. in Gen. Gregen. in diſput. contra Eutych. Iudæũ.

virgæ Aaron quæ. Amygdalæ.

Verùm, qualis iſta & cuius arboris virga? Aaronis virga docebit. Numerorum Hiſtoria tradit; cùm Core, Dathan, Abyron, & ſocij dignitatem ſacerdotalem vellent vſurpare, & ſeditionem cõcitaſſent; Deum iuſſiſſe duodecim virgulas, ſingularum tribuum ſingulas, adferri; & addidiſſe, cuius virgula germinaret, cũ à ſe ad ſacerdotium fuiſſe delectum. Sequẽti luce viſam Aaronis virgam *germinaſſe, & turgentibus gemmis erupiſſe flores; qui foliis dilatatis in amygdalas ſunt deformati.* Hanc virgam Aaronis virginis MARIÆ, hunc florem & amygdalas typum fuiſſe CHRISTI Domini, conteſtantur ſanctiſſimi & doctiſſimi duo Præſules, D. Auguſtinus, & B. Vigilius martyr. Sed cur amygdalina potius virga, quã generis alterius? magnus ſub hoc cortice litterario, ſpiritualis cibi

c. 16. & 17.

Ser. 3. de ſep. lib. 3 contra Eutych.

the ſau-

thesaurus absconditur. effodiemus illum, Deo iuuante. Nunc occurrunt duo. de mystico sensu petitum vnum; de arboris huius alterum naturâ.

Transite cogitatione in ea quæ de Luzâ oppido legistis vel audiuistis aliquando. Primum hoc illi nomen: mutauit Iacob Patriarcha, & Bethel eam nũcupauit, eò quòd vidisset illic, *calam stantẽ super terram, & cacumen illius cælum tangens, angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ*: indeque cognouisset, *non esse illic aliud nisi domum Dei & portam cæli*. Luz, D. Hieronymo teste, nucem siue amygdalum signat. inde Luza de arboris istius fœtu, qui copiosus illic. Bethel domum Dei denotat. Felix, si hoc nomen retinuisset! collocauit illic Ieroboam vitulorum vnum. idolatriæ sedes fit: Bethauen Ozeas nuncupauit. ô nomen obscœnum! Luza, typus animæ fructuosæ. amat Deus ad illam diuertere? ex Luzâ fit Bethel. An Luzá, Deipara Virgo? Intendat in hanc amygdalinam virgam mentis oculos spiritualis Iacob, diuinæ sponsus Rachelis, senioris sui fratris, pilosi Behemoth, supplantator qui in funiculum eius subintrauit, hæreditatis æternæ primogenito illi priùs præparatæ: ruminet attentiore cogitatione, Luzæ huius dotes: nil cernet in eâ quod non constanter vociferetur; *Domus Dei est hic & porta cæli*. Hodie nascitur amygdalus, existit Luzá: post pauculos annos futura Bethel; cũ mulier ista (ô qualis mulier!) excipiet Deum in domo suâ. Salue verior Bethel, mansura perpetuò Bethel, nunquam in Bethauẽ migratura. Semper eris ab omni væ peccati aliena, nullus vnquam in te locus erit vitulis Ieroboami. nihil in te vanitatis, nihil iniquitatis, nihil non vtile ac pretiosum.

Gen. 28.

לוז

libr. de non. in. Hebr.

Erat

Cur salix?

Erat alterum de genio ipſius arboris. videlicet, felix partus, felici fructu; felix arbor arbore felici debuit portendi.

De infelicibus arboribus;

Quibus æui priſci nonnulla vel leuis notitia, norunt, antiquitus arborum felices alias, infelices alias habitas. Infelices & religione damnatæ, quarum rami ſteriles & infructuoſi, aut ferales, reſecti ſeruorum nequam vel facinoroſorum hominum tergoribus illidebantur. docet hoc non vno loco ſui doctiſſimus æui Italorum Plinius Senior. tales ſalix, betulla, & vlmus. Serui dominorũ ſæuientium iuſſu corripiebantur vlmeis: vnde illiberalia illa Comicorum, vlmea ſupellex, vlmea ſupplicia, vlmicidæ, vlmitribæ. Magiſtratuum virgas betulla ſuppeditabat; ſi tales deerant, vitem illarum aſſumptas ſalignas ex Prudentij de Romano Martyre fit Hymno manifeſtum. Steritatis ſalix eſt ſymbolum, eo quòd à ſe ſemen infecundum abiiciat, vel quòd, vt Porphyrius in Homerum aſſeruit, ſalicis ſemen ex vino propinatum ſterilitatẽ inducat: vnde vates ille Gralus ſalices ὠλεσικάρπους, Latini *frugiperdas* nuncupauerunt. Quis non ſtatim intelligat Lutheranos & Caluiniſtas notari? qui, fictitiâ & imputaticiâ ſuâ contenti fide; nec ipſi bona opera in precio habent (hæc, fructus arboris humanæ) nec aliis magnopere ſunt auctores vt ea faciant, quibus omnem meriti detrahunt valorem. Betullæ candor in leui exteriùs albicat tiliolâ, ſolidiq; ligni ſpeciem præbet, conatu tamen exiguo rumpitur, & ſub illo candore, mox decolor ſecundi corticis pallor denudatur. Nonne hypocriſis arbor iſta typus accommodatiſſimus? non minùs certè quàm cygnus Tertulliano, quia ſub purpureæ niuis albedine tetram carnis & cutis rauitiem recondit.

libr. 6. Nat. hiſtor. c. 16. & li. 24. c. 9.

Vlmus.

Betullæ.

Salicis.

libr. de cibis Iudaicis.

Vlmus denique ſterilis & ipſa, vere pubeſcit, æſtate viret; auctumno defluit, horret foliis hieme deuenuſtata. Nonne falſæ fictæ hæc adumbratio amicitiæ eſt; qualis multorum, qui ſe tamen amicos volunt haberi? Nonne hæc imago viva & ſpirans fidei noſtri temporis Polyticorum; quibus ea quæ potentioris partis fides, nec alia quàm quæ floridum ver agit religio? Sed ii cauſtas iſtas & mali nominis ominiſque mitto, tranſeo ad Felices arbores. Hac laude cenſendæ omnes, non quas ſuperſtitioſa gentilitas tales cenſebat; ſed, quibus B. Virgo ab Eccleſiâ Catholicâ comparatur; platanus, cedrus, cypariſſus, olea, palma, vitis, terebinthus. accedit ad has genitrix noſtræ virgæ Amygdalus. quid? accedere dixi? multis ceteras nominibus præcedit. Si fructum quæras, gignit vtiliſſimum atque ſuauiſſimum: ſi celeritatem amas; non differt, ſtatim effloreſcit; ſin diuturnitatem; durat nucleus in annos quamplurimos. Si delectat arboris gratia; profert flores amœniſſimos, eaque feſtinatione, vt reliquas arbores præueniat. Si conſtantiam beneficentiæ laudas; poſtrema foliis ſpoliatur, æſtatem ferens diutiſſimè ſaluo frondium virore. Non tacebo, quòd bonæ ſpei nos plenos faciat, & quaſi quodam euangelico munere fungatur. Etenim cóſtat ex eius prouentu totius anni copias præſumi. Plinio fructuum arboreorum abundantiam promittit; præſtantiſſimo Poëtarum inſuper meſſis opulẽtiam. Sic enim de illâ:

Felices arbores, & inter eas

Amygdalus; quæ laudata, à fructu, flore,

folio,

prognoſtico.

Zeli. 24

Plin. lib. 16. nat. hiſt. c. 26.

„ Contemplator item, cùm ſe nux plurima ſiluis
„ Induet in florem, & ramos curuabit olentes:
„ Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,
„ Magnaque cum magno veniet tritura calore.

O felicem arborem! ô fortunatam! natam vt beati-

beatitudinis & felicitatis ſit typus vniverſæ.

Videte mihi nunc (optimi & ornatiſſimi viri) quàm præclarè hæc B. Virgini cõueniant. Amygdalæ flores omnium frugum largitatem pollicentur: flos virgę Ieſſeę fructuum ſpiritualium & meliorum carismatũ principium & fons nobis omnium fuit. Amygdalus caniciem denotat, vt in illo Salomonis: *Florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis.* Virgæ noſtræ radix, Ieſſe tot Regum parẽs, radix cana & annoſa fuit. Amygdalus profert amygdalas; virga noſtra verum peperit amygdalinum fructum, CHRISTVM Dominum. quomodo CHRISTVS nux amygdalina? Non diu vos diſtinebo. Nuces hæ præbent vſibus noſtris, tuſæ liquorem lacteum, ſolidæ cibum ſolidiorem, freſæ denique lampadibus idoneum & aptum medicaminibus oleum. CHRISTVS lac paruulorum; CHRISTVS panis viuus & pinguis, cibus ſolidus adultorum; CHRISTVS mortalium lux & medicina.

Cõparatur B virga amygdalo.

Eccle. 12 b. 5.

Vultis (SODALES) nucleo iſto Aaronicæ virgæ defrui? nux vobis ab amarore corticis degluben-da, & ligneæ teſtæ durities perfringenda. Tempus enim iam, vt quod me vltimo facturum loco receperam; id nunc præſtare aggrediar, & oſtendam quantum vtilitatis inſtitutioni vitæ noſtræ myſtica hæc virga ſuppeditare queat. Fructus iſte, virtutis eſt ſymbolum. putaminis cortex amarus nucleo circũfunditur, mox duriſſimâ & dentifrangibulâ teſtâ ſepitur, poſt putamẽ & ligneum iſtud vallum, nucleus ineſt eſui dulciſſimus. Virtutis inquam merces nucleus; teſta virtus ipſa, cortex ad virtutem via. Via hæc primitus amara & aſpera: virtus, nec parari facilis, nec parta retineri ſine labore. Pax & gloria fructus virtutis, omnium cu-

Mystica separatio accommodatur nucleo.

Felices vitæ, quæ Mariam imitantur.

pediarum & ſcitamentorum ſuperant ſuauitatem. Quiſquis fructus deſiderio tenetur, teſtam perfringat, & corticem remoueat neceſſe eſt. Quicquid in hoc itinere virtutum, continentiæ, iuſtitiæ, pietatis, & caritatis, quod iniuiſtis; quod ipſi Deiparæ bonis propoſitis, ſponte veſtrâ toties promiſiſtis; quicquid (aio) in hoc itinere ſeſe offeret triſte vel aculeatum; id omne fortiter perferatis oportet: non illa modo leuiora, quæ fortuitis caſibus & externis incommodis inferuntur; quæ magna nõ ſunt, niſi illis, qui ipſi in diuinæ ſapientiæ ſcholâ parui: ſed & alia grauiora, quæ per Euã, carnem noſtram, inteſtino diſcidio, cõtra virum, ſuperiorem rationis arcem, humani generis hoſtis dæmon, eiuſque manipularis mundus quotidie moliuntur. Sodales nuncupamini & eſtis DEIPARAE Virginis. nulla Sodalitas, nulla Societas meliùs & firmiùs coaleſcit, quàm quæ morum & ſententiarum ſimilitudine colligatur. Amygdalinæ igitur debetis eſſe virgæ. Date flores, date fructus; non perfidiæ vel hypocriſis, non mundi, non carnis, non dęmonis. in aduerſaria caſtra fugit, qui talia fert poma, perfuga eſt, hoſtis eſt, capital eſt. Nos Marianum vexillum præit: cunas illius & crepundia, quaſi Pharum clariſſimè micantem, nobis hodiernæ feſtiuitatis memoria propoſuit; " dum concini audiuimus, vel ipſi legimus: *Natiuitas eſt ſanctæ* MARIAE VIRGINIS *cuius vita cunctas illuſtrat Eccleſias.* Quomodo *illuſtrat*? non vt aliorum ſanctorum vitæ, minora ſidera, ſed vt aurora roſeo cubili manicans auricoma; vt noctu plena coactis cornibus Cynthia; vt claro meridie Phœbi radiatum iubar. tota enim pulchra, tota lucida, ſine nube, ſine nebulâ, ſine maculâ. quicquid in eâ, lux eſt vna minor luce, cuius ipſa procreatrix.

creatrix. Quin accedimus ad hanc lucem, & illuminamur? Non ipſam audimus comiter inuitantem? *Tranſite ad me omnes, & à generationibus meis adimplemini.* Eccli. 24 c. 26. Prô, ſumme Deus! quàm vberes effundit tullios! Fuit Romanis Ethnicis in pretio *Manalis* lapis; non ille tantùm, qui ex Orco Manes ad ſuperos trâſmittere putabatur: ſed & alius extra Capenâ portâ, quem quando ſiccitate ſqualebat Vrbanus ager, ſolemni in vrbẽ pompâ inferebant, pluuiæ obtinendæ gratiâ. lepidè videlicet & catè, de ſaxo arido fluenta ſperabant. Nugamenta hæc ridicularia fides diſcuſſit. Nouimus & veneramur hodie naſcentem fontem Manalem, qui ſicut *Diorix ſeu trames de fluuio, & ſicut aquæductus exit de Paradiſo.* Ecclí. 24 d. 41. de cuius plenitudine omnes, quæ habemus accepimus, & quæ deſunt accipere ſperamus, à Filio vt à fonte, à Matre vt ab aquæductu. ab IESV, ſicut a capite influente; à MARIA, tanquam ab collo transfundente. qui aliud collum, alios euripos aut elices quærũt, non aquam manalem & viuam ex Paradiſo, ſed ſtatiuam & ſtagnantem, ſed cœnum & retrimenta hauriunt ex Auerno.

Cur autem vita MARIAE *cunctas Eccleſias illuſtrat?* videlicet, vt quotquot ſunt in Eccleſiâ totius in Deiparâ virtutis imaginẽ & ſimulachrum perfectiſſimum imitentur. Non eſt putãdum ſufficere, ſi cum Iacobo faſtigium virgæ Ioſeph adoremus: niſi cum eodẽ Iacobo virgam hanc amygdalinam, vt ille ouibus ſalientibus, ſic nos cogitationi & mentis noſtræ conceptionibus proponamus; vt ſic anima noſtra ſubolem huic virgæ concolorem generet, flores ſimiles pariat, nec flores tantùm, ſed Aaronicam imitata virgam, cum flore ſimul nuces tempeſtiuas. Si Sodalitatis ve-

Geneſ. 30. c. 37.

ſtræ *(viri ornatiſſimi)* amygdalus, copiosâ ſuperet fœturâ, ſpes erit meſſis largæ, ſpes vberis vindemiæ, ſpes pinguis oliuitatis. à veſtro *(Sodales)* fructu, multorum fructus dependet. Primùm familiarium veſtrorum, tum reipub. poſtremò totius patriæ. Si vobis deeſtis, multis deeſtis. Si vobis cõſulitis, benè multis conſulitis. Si nulli, mentiemini veſtrum nomen. Feſtum Pompeium interrogate, cur Sodales dicti? reſpondebit, eo quòd inuicem quæ forent vtilia ſuaderent. Quàm indignus hoc nomine, qui alium ad peccandum hortatur! qui comitatur ad malum! qui incitat ad inuidendum, & maledicendum bonis! qui verba ſuggerit detractionis, & calumniarum! qui per mendacium lites ſerit, mendacio fouet, mendaciis ſopitas nititur excitare! Agite potiùs, proferte flores odoros laudabilis exempli & agnitionis: germinate fructus perfectos, quibus neç cortex pœnitentiæ ac timoris, nec viuæ ſpei & cõſtantiæ teſta, nec nucleus deſit caritatis atque dilectionis. Matrem imitamini, boni rami melioris arboris. qualem ſe prædicat, quæ neſcia mẽtiri? *Ego mater* (ait) *pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſpei.* mater horũ omnium, quia hæc omnia vnico in filio peperit. mater horum omnium, quia poſt filium his omnibus cumulatiſſimè præ cũctis ornata fuit. mater horũ omnium, quia qui talia pariunt, eos ſibi ſimiles diligit, eos adoptat in filios, eos agnoſcit plãtas paradiſi, & plãtarij ſui virgulta. d. 24. 6. 14.

Infelices virgæ quæ, & quales illæ ingles.

Vlmea mauult aliquis eſſe virga? cum fortunâ erga mortales amicitiam, & erga Deũ fidem mutare? Deum laudare cùm benefecerit, mala de Domini manu recuſare? infelix eſt virga. Betullam alius exprimit moribus? melior videri quàm eſſe ſtudet, virtutem in frontiſpicio, peccatum in cordis

cordis receſſu gerit? frangitur ac deficit aduerſis, cumque filiis Ephraim quatit arcum antè pugnam, & in ſpirituali prælio conuertitur retrorsùm? infelix eſt virga. Alius eſt virga de ſalice? nec ipſe bonis vacat operibus, nec ſocios vacare ſinit? ſibi nequam, noxius aliis, infelix eſt virga. Omnes hi virgam Ieſſæam eſt quòd metuant; abſumet & deuorabit ipſos, vt Moſis virga virgas Magorum Ægyptiorum. Mater *dilectionis* eſt; an non ſimul *timoris*? dilectionis bonis, timoris malis. Non virga tantùm conſolationis; quæ Dauidem conſolata; talis eſt Dauidem imitantibus, & ſe ad cor Dei componẽtibus: Verumetiam eſt virga iræ & virga furoris improbis; qui dilectione repudiatâ, nec ſeipſos agnoſcere per pœnitẽtiam, nec ſe à peccatis abſtinendo Deum ſtudent placare. his mater eſt iuſtiſſimi *timoris*. Hieremias olim vidit hanc virgam vigilantem, & poſt illam vidit & extimuit ollam ſuccenſam. Virgam ſanè (vt LXX[12] vertunt) nuceam, & quidem, vt Theodotion, amygdalinam, qualis Aaronica fuit virga. Cur primò nuceam, cur vigilantem; cur ollam poſtea vidit ſuccenſam? Reſpondeat B. Au-
guſtinus. Vita & mors, inquit, ponitur antè faciẽ
noſtram: & vita quidem Chriſtus, in ſacramento
nucis; mors autem Diabolus, in figurâ lebetis ſuccenſi. Si ergo peccaueris, portionem tuam pones
cum ollâ ſuccensâ: ſi autem iuſtè egeris, efficietur
portio tua in virgam nuceam cum magno Ponti-
fice. Reſpõdeat quoque D. Ambroſius: quoniam
(ait) qui baculo non corrigitur, mittitur in ollam,
vt ardeat & tabeſcat. & ideo ad prophetam Eze-
chiel dicitur; *Accipe tibi ſartaginem, & accipies iniquitates domus Iſraël, & conſummabis, & tabeſcent in ſuis iniquitatibus.* Et alibi in eodem libro dicit

Exod 7 b. 12.

Ser. 90 de tẽp.

comm. in pſal. 39.

» Dominus; *Sed ego magnum faciam titionẽ, & mul-*
» *tiplicabo ligna, & ſuccendam ignem, vt liquefiat caro*
» *& minuatur ius.* Quibus teſtimoniis ſignificatur,
» quòd animæ perfidorum admoto igne tabeſcant,
» vt deponant craſſitudinis quendam carnalis hu-
» morem. Mittuntur ergo in ſartaginem & animæ
» peccatorum, vt defluat quædam peccati caro; quæ
» obduxerat animæ ac mentis vigorem, & velut iu-
» re quodam, ita quibuſdam infuderat animam il-
» lecebris cupiditatum. Hactenùs Ambroſius. quæ
ſi ſunt auditu terrifica, certè ſenſu futura ſunt du-
riora. quàm dulcis & conſolatoria illa virga diſci-
plinam Dei amplectenti; tam minax & damna-
toria eſt eadem virga deſerenti & aſpernãti. quàm
metuendus hic lebes! hæ ſartagines quàm formi-
dandæ! tamen hę ſartagines, & iſti lebetes, & Eze-
chielis ille titio, & lignorũ multiplicatio, & ignis
ſuccenſio, & carnis liquatio, & iuris minutio ma-
nent peccatorem. quis effugiet à venturâ hac irâ?
qui in hac vitâ lacrymis pœnitentiæ ius iſtud
cupiditatum effuderit: qui cordis contritione
omnem aruinam illam carnalis pinguedinis eli-
ſerit, & extriuerit. Magno ad id auxilio futu-
rum, ſi virgam hanc nuceam ſæpè capiti noſtro
ſupponamus. Docent Cyrillus Alexandrinus Comm. in Iſai. c. xi.
& Procopius Gazæus (quod alibi non legi) nu-
ceum bacillum dormientis capiti appoſitum, à
ſopore ſuſcitare, & inſomniam adducere. Quem
queat peccati veternus deprimere? quem non è
profundiſſimo ſomno, & incuriâ lubricæ vitæ ex-
pergefaciat. Sæpiùs mente pertractare, hanc vir-
gam vigilantem ceruicibus ſuis imminere; quam
ſi contempſerit, ſucceſſuras ollas, lebetes, ſartagi-
nes, picem, ſulphur, incendia cum corporibus ani-
mas, vt cicerculum, frixura? Vigilans eſt virga; &
quod

quod interpretatur Chaldæus Paraphraſtes, *Feſtinans ad maleficiendum*, hoc eſt, ad malos malè perdendum.

Vt ſpeculator adſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actúſque noſtros proſpicit
A luce primâ in Veſperam.

Si per infirmitatem videt labi; hortatur, monet, increpat; virga *diſciplinæ* eſt, dũ ſpes ſupereſt *agnitionis*. Aduertit pertinaciam indurare, & cor impœnitens reſpuere monitiones & conſilia; fit virga furoris, feſtinat punire. Sin fructus cernat pœnitentiæ, ſit virga conſolationis, & mater pulchræ ſpei. Numquam non veriſſimum eſt illud Ioëlis;

2.c 12. *Si conuertantur ad Deum toto corde, in ieiunio &* "
F.25. *fletu & planctu*; tunc, *reddam vobis* (ait Dominus) "
annos quos comedit locuſta, & brucus, & rubigo, & "
eruca. Quemadmodum peſtes iſtæ minimæ ferti- "
liſſimas ſæpè perdunt ſegetes: ſic nobis ſæpenumerò (quod vtinam expertis expertus non loquerer) optimos vitæ dies exilia quædam vitia, quoniam aſſidua vel ſaltem nimis crebra, ſteriles & infructuoſos reddunt. quid aliud, quàm eruca, rubigo, bruchus & locuſta; ſunt typhus quidam ſuperbiæ? túrgiduli folles ambitionis? diffluens ciborum & poculorum profuſio? veſtis & ſupellectilis & ornatus luxuria rediuioſa? fugacis voluptatis breuiſſimum aliquod & ſuauiamarum momentum? æruginoſi nummuli lucellum, vel inanis & imaginoſi pũctum honoris exile? quid aliud hæc & cætera illa de quib. nunc erubeſcimus? ſi non erubeſcimus, id ipſum nos ſuffundere grauiſſimè deberet, quòd tam fœdi, tam maculoſi non erubeſcamus. Sin aliquid ſupereſt frontis & pudoris ingenui; culpam fateamur: ſi fatemur, ad

matrem misericordiæ supplices cõfugiamus; virgas nos in posterum felices, hoc est floridas & fructuosas fore spondeamũs. Tunc Luzæ nomen nobis conueniet fœcundis amygdalorum; cõueniet quoque nomen præclarius Bethel iis, qui lethalis expertes culpæ, Deũ hospitio in sacrosancto Dominici corporis & sanguinis sacramento receperunt. Caueamus sedulò ne de Bethel, in Bethauen degeneremus; in domum scilicet iniquitatis, vt vertit Theodotion; vel in domum inutilem siue nihili, vt melius Aquila & Symmachus interpretati. Quid aliud peccatum, quàm nihil? quid aliud omnia, quàm Deus? quis adeò demens, vt illi qui est omnia, id quod nihil est præponat? facit hoc peccator. desinit esse Bethel, fit Bethaue: de domo Dei mutatur in domum inaniæ & vanitatis: à Salomone legitimo suo Rege, deficit ad Ieroboam tyrannum crudelissimum. Quàm hæc demens commutatio! quàm nefaria perduellio! væ miseris! quàm illis fũestũ impendet exitium! repetitæ res, clarigatio peracta, glebulẽtis eorum præcordiis hasta fecialis, belli prænuncia hęret infixa: nihil tamen muli sentiunt. verè muli, quia sicut equis & mulis nullus ipsis est intellectus. Fugite (SODALES) fugite hanc Bethauen; hos qui vitulos desideriorum suorum colunt; hos qui hospitij tesseram Deo renunciarunt. Cauete ne morum imitatio, vindictæ similitudinem attrahat. Meministis arbitror Fabij illius Romanæ reip. legati; qui confidenter Karthaginiensium Senatui dixit, in sinu se pacem bellumque gestare, optarent quod mallent. Nobiscũ eodem nunc agitur modo. Iessæa virga dilectionem & amicitiam offert, eius si exemplo fructus dilectionis, timoris, agnitionis, & spei bonæ gignamus, hoc est,

Flor. lib. 2. de bello Punico secundo.

virgæ

gæ ſimus amygdalinæ; ſi verum ſemen fuerimus Marianum. Sin verò fuerimus infelicis arboris rami, viperina genimina, ſemen tartarinum, opera carnis, mundi, cacodæmonis proferentes; abdicit, repudiat, exhæredes facit. non erit pars in Dauid, neque in virgâ Ieſſe. nomine Sodales erimus, re perduelles. pars nobis futura in Sebâ, pars in filio Bochri. capitales inimicitias exercet MARIAE ſemen, cum ſemine ſerpentis antiqui. Paterpatratus Deus bellum ab orbis initio indixit. pax nulla, induciæ nullæ. conteret illa caput, & infelices virgulas mittet in ollam ſuccenſam, quam vidit propheta, vbi mors depaſcatur illas, & nõ conſumat, ſed rediuiuis ſemper cruciatibus excruciet in æternum. Dum tempus habemus, pacem potiùs poſcamus, pacem operibus bonis promereamur. tunc radicis huius rami futuri: tunc rami honoris & gratiæ fructificabimus ſuauitatem odoris. tunc flores noſtri cenſendi flores honoris & honeſtatis: tunc verum DEIPARAE ſemẽ, ſerpentis illius tortuoſi ſobolem debellabimus hic in viâ Deo duce, detriumphabimus in patriâ Deo remuneratore. DIXI.

Dicta primùm Antuerpiæ, M. D. CX.
Secundò, paucis additis, Louanij, M. D. CXV.

IN

III.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS.

PROPOSITVM.

Osculetur me osculo oris sui. CANTIC. I.

Arcendi profani à diuinis:

QVOD apud Platonem[a], ex illo Pythagoræ & Orphei solemni, θύρας ἐπὶ δὲ βέβηλοι, Socrates præfatur, cauendum ne quis dicenda profanus auribus excipiat: (Oderant enim profanũ vulgus, & arcebant, quotiescumque de rebus sacris, arduis, aut arcanis erãt verba facturi.) Mihi nunc ego iure quàm optimo videor idem posse vsurpare (SODALES) de diuino Sponsi VERBI & humanæ naturæ seu Ecclesiæ dicturus amore. PROCVL AB HOC CONVENTV CANES. PROCVL PROFANI. castis loquimur. audiant casti & puri sponsam amore languentem. OSCVLETVR (inquit) ME OSCVLO ORIS SVI. Non hîc Cypridis ignes profani: non faculæ Cupidinis lasciuæ. procul hinc in malam crucem Venerei nebulones[b]; qui calamo scelerato talia non veriti exarare. Senior hæc Salomon scripsit, Spiritu sancto afflatus, nõ œstro libidinis inflammatus. credere debuissent, quibus plus æquo tribuunt, Hebræorum Magistris[c]; qui hoc Canticum ceteris diuinius, & eum in Canticis locum obtinere volunt, quem in tẽplo obtinebat nobile illud SANCTASANCTORVM. Nos Patrib. Latinis credimus[d], Ambrosio, Iusto Orgelitano, Aponio, Gregorio, Bernardo. credimus Dei pleno Areopagitæ, qui tradit eo contineri entheas imagines & diuinorum amorum cantilenas, θείων ἐρώτων ἄσματα καὶ ἐνθέους εἰκόνας. reliquis Græcis Patribus credimus.

[a] in Theæteto *Feres obserate profani.*

vt ab isto Salomonis Cantico,

quod non est Venereum,

sed diuinũ & spirituale,

Rectibus Hebræis, Latinis,

Græcis.

[b] Seb. Castalio & Theo. Beza hç retiss.

[c] R. Selom. Harchio, R. Akibar, R. Abr. Abenezral & Abr. bé meyr & R. Eleazaro.

[d] Ambr. ser. 1. in psa. 118. & in Apolog. 2. pro Dauide: ceteri in hunc locum Cant. 1.

idem

Origen. Psello, Theodoreto, Philoni Carp.

idem omnes affirmant: sed vnum Philonem Carpathium audite Latinè loquentem; Tu verò qui « hæc (ait) audis aut legis, spiritalia hæc omnia esse « cogita. Sunt enim Dei oscula purissima, sanctissima, castissima, planeque diuina. nihil prorsus « carnale, nihil corruptibile, nihil obscœnum, « sed honestissima omnia esse ducito. Ne mes grauata crimine, aut aliquid voluptuosè cogitans, inde lethale vulnus accipiat, vnde salutarem medicinam & animæ refectionem capere potuisset. « Osculum ergo Sponsa petit, non Suauium, aut Basium: libidinosa isthæc non inuenias in sacris libris nominari: aliena quippe sunt à moribus Sponsi, aliena à sponsæ desideriis. quid enim purius CHRSTO IESV, aut eius Genitrice VIRGINE castius? ILLIVS INCARNATIO, *Osculum* de quo nunc agimus. hæc Sponsi istius desponsatio humano generi promissa fuerat in [a] Adamo, promissa magnæ hominum matri [b] Euæ; promissa [c] Noemo, [d] Abrahæ, [e] Iudæ, [f] Mosi, & [g] prophetis. quis enim prophetarum eius incarnationem non prædixit? quid aliud sonant plerique psalmi, sanè XLIVtus nihil est aliud quàm Epithalamium harum nuptiarum. quid aliud totum hoc opus CANTICI CANTICORVM? quid Isaiæ tota ferè prophetia? quid Ieremias, quid Ezechiel tot locis? quid Hebdomadæ LXXtæ, hoc est anni CDXCtæ Danielis [h]? quid Oseæ [i] illa repudiatio fornicariæ, & insuper minæ de aliâ Sponsâ? quid apud [k] Amos tabernaculum Dauid suscitandum? quid istud [l] Abacuqui? *Apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit exspecta illum. quia veniès veniet, & non tardabit.* quid denique illa [m] Aggæi? *Adhuc modicum: & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet desiderabilis cunctis gentibus.*

Vsurpatio de INCARNATIONE VERBI, totius promissa.

a Genes. 2. d. 23. b Genes. 3. c. 15 c Gen. 6. c. 18. d Gen. 22. d. 18. e Genes. 49. b 10 f Exo. 4. g Isai. & ceteris passim.

h c. 9. f. 24. i c. 1. a. 2. & 2. a 2. k e vlt. l c. 2. 3 me. 2. b. 7.

desideratus gentibus. nonne hoc loco Chaldæus Parphrastes, quem tãti faciunt Hebræi, & R. Akibà, quem sanctum Doctorem vocant, MESSIAM exponunt, illum *gentibus desideratum*? Denique nonne quod[a] Zacharias dixit, *Locutus id fuit Dominus per os sanctorum, qui à sæculo sunt prophetarum eius.* [a] Luc. 1. 8. 70.

Cuius non ista pollicitatio desiderium acueret? cuius non quamtumuis iacentis stomachi stimularet appetentiam? Tamen hoc mel sanis dulce, ægris amarum visum. apud vulgum promissi fides morâ mutauit. pars risêre prophetas, apud Isaiam[b]; *Manda, remanda: manda, remanda: exspecta, reexspecta: exspecta, reexspecta: modicum ibi, modicũ ibi.* pars desperabundi apud[c] Ieremiam reiecêre, dicentes; *Exspectauimus pacem, & non erat bonum: tempus medelæ, & ecce formido.* Quid facerẽt prophetæ? Quod nunc boni, cùm vident quosdam de diuinâ prouidentiâ diffidẽtes; eo quòd his, quibus premimur malis, non statim nos eripiat; alios conspiciunt longanimitatem bonorum & spem cum stultâ Iobi vxore subsannãtes. *Flebant*[d] *amarè Angeli pacis*, eo quòd Deo non credi videbant. [b] Isa. 28. v. 10. [c] cap. 8. v. 15. [d] Isa. 33. v. 7.

& ideo mala vrideri, & desperari.

boni maorem spẽ, desiderio ardẽtius, preces magis assiduas.

» Sed, vt D. Paullus ait, *Non euacuauit incredulitas* Rom. 3.
» *eorum fidem Dei.* nec enim peribant spes aut fides a. 3.
bonorum: penè non planè iustorum pedes mouebantur: gliscebant desideria, gemitus & suspiria inualescebant. assiduè clamabant cum Dauide; Psal. 79.
» *Ostende nobis Domine faciem tuam, & salui erimus.* a. 4.
clamabant cũ Salomone; *Sonet*, non amplius vox Cant. 2.
turturis, raucę iam fauces gemẽtium prophetarũ; d. 14.
» sed *sonet vox tua in auribus meis.* cum altero quoq. Eccli. c. 36. c. 17. vt exhibet Bern. ser. 2. in Cant.
» Sapienter clamabant; *Suscita precationes, quas lo-*
» *cuti sunt in nomine tuo prophetæ priores. Da merce-*
» *dem sustinẽtibus te, vt prophetæ tui fideles inuenian-*

tur.

641.b.8 *tur.* clamabant cũ Isaiâ; *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Deniq. suspirantes & gemẽtes cum Spõsâ ingeminabant illud ardẽtissimæ flammæ; *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ; vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat!* Sunt enim testibus Ambr. Gregorio, & Philone, vota ista Sponsæ Ecclesiæ flagrantissimè exoptantis VERBVM incarnari, & de patrio sinu, thalamo paternæ essentiæ, vbi nostris oculis inconspicuus ab æterno Filius latuerat, in hunc orbem nostrum egredi; vt non fide tantùm, sed visibilem illum, & corporatum humanâ specie atque palpabilem queat contueri ac complecti: ab Angelis quoque bonis eum honorem nunc accipiat, vt, quod priùs permittebant, non sinant sibi promiscuè homines genua submittere, verùm conseruos etiam se Sponsi seruorum fateantur. Hunc ardorem (*accendant vtinam in cordibus quoque vestris Bernardi hæ faculæ*) desiderij Patrum suspirantium CHRISTI in carne præsentiam frequentissimè cogitans, confundor & compungor in memetipso, & nunc vix contineo lacrymas. ita pudet torporis, teporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrùm, tantum ingerit gaudium gratiæ huius exhibitio; quantum veteribus sanctis accenderat desiderium promissio? illorum ergo desiderium flagrans, & piæ exspectationis affectum spirat mihi vox ista: OSCVLETVR ME OSCVLO ORIS SVI. Spirat Bernardo: cur non & nobis spirat? spirabit, si similes illi animæ defecatissimæ simus. ille spiritualis onager *aperuit os suum, & attraxit spiritum, attraxit ventum amoris.* aperiamus & nos internos animi sinus, attrahamus auram SPIRITVS SANCTI, vt ardor ille diuinus incalescat in nobis.

Cantic. vlt. a. 1.

Ioſue. 5. d. 15.

Apo. 22 b. 9.

Ser. 1. in Cant.

Pſal 118 f. 131.

Ierem. 2 c. 24.

adeò vt tã dem de ca lo in ſolũ VERBVM ſe demiſerit,

OSCVLARI Sponſum digna tm OSCVLO ORIS SVI,

anhela ins flamante-

tranſeat

transeat animi frigus, transeunte anni hyeme: abeat gelu, glacie liquescente. vernent omnia. & fecundante: Catullitionem vocabant antiqui hoc veris initium; quia gestiente terrâ semina concipere, & naturâ festinante satis animam infundere, omnia fœcundantur. Nos steriles permanebimus? nos cœlestis huius auræ ac spiritus germen nullum in animi nostri hortulis parturiemus? Fert id (prô dolor!) nostra ignauia. fert tantum pondus ingratitudinis consuetudine indurata cordis nostri glacies. Non tulerunt MISERICORDIÆ diuinæ viscera moram diuturniorem. Ipsa DEVM (ô misericordiam infinitam!) peccatorum indignitas, & ingratorum pereuntium multitudo; quæ nobis sæuitiæ & bilis forent incitamenta; vt opem, ingratis, indignis, sceleratis ferre maturaret, DEVM impellebant. ô admirabile & incomprehensibile æternæ dispensationis decretum! Nimirum nec diuinæ bonitatis conditio, nec ipsius BONI natura aliud patiebatur. Optimus, iustissimus, sapientissimus, vt fuit; est, erit Deus. Optimus est: bono proprium ad peculiare diffundere sese, & quantum potest plurimis communicare. Sponsi nostri nomen CHRISTVS IESVS, *oleum effusum*, quomodo non se diffunderet ac sanaret? quomodo non tandem seipsum largiretur? Iustissimus est DEVS. iustum erat, vt offensę diuinitati plenè satisfieret: vt quod figulus vas formauerat, ipse confractum restauraret: vt Satanam iustitiâ potiùs quàm misericordiâ superaret. Sapientissimus est DEVS. nonne fuit infinitæ sapientiæ; subsessorem in propriis insidiis capere, aucupem suo implicare laqueo; eum qui spe diuinitatis hominem deceperat, humanâ in specie circumvenire; &, vt hominem diuinæ consortem naturæ efficeret, diuinam personam

teste Plinio lib. 16. c. 23.

fœcundantur: nos mini- mè mere- mur:

sed Deum maximè benefi- entem decet.

quia Deus optimus.

Cant. 1. a. 2.

quia iu- stissi.

quia sa- pientiss.

quasi

quasi subiicere & substernere? Potentissimus denique DEVS non aliud potuit omnipotentiæ specimen illustrius præbere. namque vnam in personam non modò res planè diversas, sed quasi prorsus contrarias coniunxit ac coëgit. miscuit finitum infinito, mortale immortali, creaturam creatori. creauerat olim ex nihilo cūcta: quattuor pugnantia elemēta, humida cum siccis, frigida cum calidis, cum leuibus grauia, cum duris mollia, cathenis adamantinis in vno mixto corpore colligarat. In vnum hominem, exiguum mundum, omnem naturam contulerat, tribuens cum inanimis grauitatem, cum plātis vegetatricem, cum brutis sensilem, cum angelis animam intellectilem. deerat homini esse diuinum. Sed quomodo Deus, cuius [a] *sedes cælum, terra scabellum pedum eius*; qui [b] *cælum & terram, quibus posuit legem*, implet; quem Hermes Trismegistus, [c] *sphæram* vocat, *cuius centrum est vbique & circumferentia nusquam*, id est, qui implet omnia, nec tamen ab vllo circumscribitur; quem Patres [d] hæreticorū omnium Platonici, Pythagoræi, & Stoici ex malè intellectis sacræ scripturæ verbis, animam mundi finxêre, &

a Isa. 66 a.t.
b Ierem. 33. d. 25
c Sic vocat Tertullian.

——— *tre per omnes*
Terrasq́, tractusq́. maris, cælumq́. profundum.

& iis cōsentientes fortassis Caballistæ [e] dixê e, sicut anima tota est in toto corpore, sic Deū totum in toto esse mundo: quomodo, inquam, hæc infinita infinitas tam exiguo spacio constringeretur? Nouum istud facere restabat. modum diuina sapientia inuenit. VERBVM *abbreuiatum* [f] *fecit Dominus virtutum. Exinauit* [g] *se* Deus, vt formam *serui acciperet. Nouum fecit* [h] *Dominus super terram. Femina circundedit virum.* Virum sapientiâ, vigore animi, sensuum maturitate: conceptum & formatum

d super Leuit.
e Isai. 10 f. 13. f Philip. 2 a 7. g Ierem. 31. d. 22

quia pēs. tenuiss.

Distributiui Iudæi n. vnus ser es,

matum eo instanti; quo VIRGO Archangelo Gabrieli respondit[a]: *Ecce ancilla Domini. fiat mihi secundùm verbum tuum.* tunc enim SPIRITVS SANCTVS superuenit, tunc tota TRINITAS[b] VERBVM carnem fecit. Sic VERBVM *habitauit in nobis.* sic quem cæli capere nõ poterant, qui cuncta pugno continet, ventris virginei locello clausus est. sic voti sui compos Sponsa, nacta foris Sponsum osculo oris eius potita. sic omnibus innotuit, *Viri in virgine via*, quam se penitùs ignorare Salomon[c] fuerat professus. Iubila filia Son, exsulta iam satis filia Hierusalem, tulit tibi, ô homo, DEVS OSCVLVM. *Rex virtutum nobiscũ, dilecti, dilecti.* Multiplicauit magnificentiam suam. *Vidimus ingressus Dei, vidimus ingressus Dei nostri, regis nostri, qui est in sancto.* iam nos *Oriens ex alto visitauit. venit gloria nostra, venit redemptio nostra.* Non per prophetas, non per patriarchas esse salui poteramus. Helizeus famulum suum Giezi præmiserat, baculum iste senis supra corpus infantis posuerat: sed vitæ filius Sunamitidis non restituebatur. Igitur[d] oportuit ipsúmmet prophetam subsequi; ora ori paruulo, manus manusculis, oculos ocellis, corpus corpusculo imponere: mox vt super puerum se senex incuruauit, calefacta est caro pueri; & qui mortuus erat, rediuiuus resurrexit. Hodie se magnus ille *gygas* incuruauit, *egressus de thalamo suo*, & super hominem peccato mortuum incubuit. Surrexit homo, & viuētis animę per gratiam spiritum recepit. Quas pro tali ac tanto beneficio gratias DEO referemus? velle possumus, referre nõ possumus. Tulit, ô homo, tibi DEVS osculum; quale concha gemino capit cortice, quale rostris tremulæ iungunt columbæ; innocens & tenax. hoc enim sic se tibi deuinxit osculo, sic compaginauit;

osculatur quasi medius lætitiæ causa hoc OSCVLVM,

nobis plane necessarium,

& firmissimum.

[a] Luc. 1. d. 38.

[b] Ioan. 1. b. 14.

[c] hoc dico, quia Prou. 30 c. 19. in Hebr. est *Bederech geber beahalmah* & sic etiã Chal. Paraphr. & Rabbenus Haeca-dos, & Arastaf. q. 40. in scripturam, & quædam codices vulgatæ versionis, non *in adolescētia*, sed *in adolescentula*.

[d] 4 Reg. 4.

nit,vt ab humanitate numquam potuerit diuinitas auelli.ô admirabilem compagem! ô ſtupẽdam conferruminationem! Mors animam à corpore ſeparauit : nec ab animâ, nec à corpore potuit mors diuinitatem diuellere.animam corpore potuerunt eiicere tormenta : nulli cruciatus quamtumuis diri conglutinationem illam hypoſtaticam abrumpere potuerunt,non vincula,non alapæ,non ſputa, non pilorum & capillorum euulſiones,non flagra, non ſpinea corona, non crucis ſupplicia, non in mortuum ſæuiens crudelis lancea decorem & pulcritudinem vultus amiſit;cordis amorem & beneuolentiam Sponſæ non amiſit.tam tenax iſtud oſculum, tam indiſſolubilis iſte complexus fuit. Quæ ſic hedera quercum amplectitur?quæ ſic vlmus vite maritatur? *Cantate Domino canticum nouum,quia mirabilia fecit.* Sed quis me repens quaſi torpor inuadit?qui hanc lætitiam diluit & turbat ſiue metus ſiue verecũdia. *Turbant tamen noſtri mali mores.* Sentio,quod nollem ſentire.quantam DEI beneficium nobis lætitiam adfert, tantum ingerit dementia noſtra pudorem atque mæſtitiam. DEVS deſcendit: nos per ſuperbiam cum Lucifero malumus aſcendere. clauditur vtero DEVS immẽſus: nos,quos breuis vrna capit, latifundia latifundiis iungimus. ſuſcipit DEVS & perfert imperfectum noſtrum cum miſeriis noſtris ; nouem menſibus includitur ergaſtulo vẽtris virginalis: nos nec minimum quid pro Deo perferre, nullum ſubire laborem,nihil agere, nihil pati; ſpiritus libertatem in carnis licẽtiam volumus commutare. ô cæcam cæcitatem! Venit in mundum DEVS,vt hanc cæcitatem luminaret: ipſe *lux vera* eſt, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: quare de ipſo D. Gregorius, vt aſſolet, præclarè ; cum

Ioan. 1. 9.

in Luc. c. 18.

quibus remẽ nunc Deus venit facere medicinã.

„conditor noſter appropinquaret Iericho, cæcus „ad lumen rediit. quia cùm diuinitas defectũ no„ ſtræ carnis ſuſcepit: humanum genus lumẽ, quod „amiſerat, recepit vnde enim Deus humana pati„tur, inde homo ad diuina ſublimatur. Oculos mẽtis recepiſtis? cõſpicite quæſo DEVM in matris vtero exiſtentem: attentiùs conſiderate myſteria mirifica, quæ illic peraguntur in illâ humanitatis initiatione. gignitur, & ſimul in Sacerdotem æternum ſacerdotij Melchiſedech conſecratur. quis huic Sacerdoti, qui pro nobis ſeipſum ſacrificaturus, recuſet miniſtrare? conſecratur à PATRE ÆTERNO, inungitur à SPIRITV SANCTO, vt nos ſanctos faciat & vnctos gratiâ: vt fluat hoc *vnguentum* à capite non [a] *in barbam* modò, *barbam Aaron*, eum qui Deo proximus eſt clerũ, ſed *& in oram veſtimenti eius*, in Eccleſiam vniuerſam. coronat illum mater [b] humanitatis coronâ, vt nos immortalitatis cingat diademate. ſecũdarum capiti *amictum* imponit; vt nos armet *galeâ ſalutis*. induit *albâ* candidiſſimâ *deſuper* [c] *cõtextâ per totum* ex ſanguinibus puriſſimis; vt *in ſanguine ſuo* nos *dealbet*. *cingulo* ſe præcingit, quod *mulier fortis* [d] *vẽdidit Cananæo*; vt nos *cingulo caſtitatis præcingat*, & *ardorem libidinis in lumbis noſtris extinguat*. accipit *manipulum fletus & doloris* noſtri, vt nobis ſui *laboris mercedem* reddat. accipit noſtræ *ſtolam* ignobilitatis, vt donet nobis *ſtolam gloriæ* ſuæ, quam *in primi parentis præuaricatione perdideramus*. in humeros iniicit *caſulam* auream corpuſculi tenelli & mollicelli, vt nos à iuuentute diſcamus, onus eius ſuaue & iugum leue perferre. ita nũc inſtruitur Sacerdos noſter: primitias celebrabit (vtinam & nos cum illo!) cùm naſcetur. Nouem ipſi mẽſes in ſacriſtiâ virgineâ ſic parato, ſic ornato tanſigendi.

a Pſalm. 132.a.2.

b Cant. 2.d.11.

c Ioan. 19.d.23.

d Prou. 31.d.24

gendi. Ah diuine Sacerdos! ah Pontifex æterne! ah veræ Pacis rex veriſſime, quàm te non pacifica manent egredientem! conſcendendi principiò tres gradus, præſepis, circũciſionis, fugæ in Ægyptum. mox inchoanda confeſſio. deſunt quæ propria peccata referas: narra mea, narra iſtorũ, narra generis humani, innumera, immenſa, ſæpiſſimè iterata: qui propria non habes, luge ac deſle aliena. peractâ cõfeſſione, *introibis ad altare Dei.* Caluariæ collem cõſcendes, *calicem ſalutaris accipies*, te ipſum in arâ crucis hoſtiam viuam ſacrificabis. Tempus erit, cùm hæc ſeriò meditanda, ponderanda diligentiùs, non obiter delibanda: nõ multæ ſeptimanæ intercurrunt. Nunc nobis congratulandum, puero incarnato cõgaudendum. Ruamus in OSCVLA, SODALES. oremus, flagitemus, vt OSCVLETVR NOS OSCVLI SORIS SVI. non oſculetur nos Moſes, *labiis incircumciſus*; nõ Iſaias, *pollu*ta eius *labia carbone igneo* debent *expurgari*; non Ieremias, nec quiſquã prophetarũ. illorũ me oſcula nõ ſatiant, nõ ſanant. ipſe me Dominus prophetarũ *oſculetur oſculo oris ſui*; oſculo pudico, ſincero, electo: cuius in labiis diffuſa eſt gratia, cãdidis innocẽtiâ, rubicundis caritate. quæ vt experta teſtatur Sponſa, *Lilia ſunt myrrham diſtillantia primam*, hoc eſt, cuius verba & odora doctrinæ bonæ ſuauitate, & candida dictorum veritate, & ad mortem viciſſim pro eo amplectẽdam adhortantia: ſic enim Iuſtus Orgelitanus, & Philo Carpathius interpretãtur. Non oſculentur nos mundi labia dilatata; quæ plena rimarum arcani nihil continent: non labia ſtulta, quæ ſe rixis miſcent: non labia mendacia, adulatoria, detractoria, ſuſurratoria, doloſa, iniqua, ſcelerata. his monet

Orandus igitur vt nos oſculetur O. S.

non oſculo prophetarum.

non mũdo oſculo, quod vt multiplex ita damnoſiſſimum,

a Exo. 4. c. 10.
b Iſai. 6. 7.
c Ierem. 2. b. 6.
d Cant. 5. c. 13.
e Pro. 4. verſ. 24. & c. 10. ver. 4. 14 18. 19. 30. & 31 & c. 20. verſ. 17. 19. 25.
Pſal. 58. v. 8. pſa. 4. v. 4. 5

Salomon, ne commiſceamur; ruinam animæ, Domino autem, dicit eſſe abominationem. In labiis huiuſmodi Dauid aſſerit eſſe *gladium acutum, & ſepulchrum patẽs guttur eorum*, fœtorem animæ emortuæ ſemper exhalans: ſub iſtis labiis latêre monet *aſpidum venenum*, quod paratum ſemper cuomere, & per lethales morſiunculas veterno peccati incautos enecare. Non deniq. nos oſculentur exitiales illæ [a] *Sanguiſugæ* filiæ, ſemper occinentes, *affer, affer*: quas nobis indicat D. Salonius his verbis; Diabolus eſt *ſanguiſuga*, qui ſemper ſanguinem ſitit, id eſt, ad peccata homines trahere cupit, & ſitim peccãdi inceſſanter accendit. Duæ verò *filiæ* eius, quæ nunquam ſatiantur, ſunt *Auaritia* & *Luxuria*. iſtæ nimirum ſpiritualiter Diaboli ſitim & ardorem imitantur: quia ſicut ille nunquam peccando ſatiatur, ſic nec auaritia nec luxuria. Nonne quantò quis promptiùs libidini obſequitur, tantò has aquas amariſſimas ſitit ardentiùs? quantò quiſque maiores diuitiarum congeſſerit aceruos, nonne tantò auidiùs inhiat explẽdæ cupiditati? ô miſeros & deliros quibus hæ *filiæ ſanguiſugæ* labias (vt ille loquitur) lirarint! Eriſichtonis morbo corripiuntur, quem noſtis quàm inſatiabilis comedendi rabies inuaſerit, ſimul ac deforme illud monſtrum oſculo ſuo infelicem adflauit. Sicut enim

Pſal. 13. a. 3.

Prou. 15 b. 30.

„ — rapax ignis non vnquam alimẽta recuſat, Metam. 8.
„ Innumeraſq; faces cremat, & quo copia maior
„ Eſt data, plura petit, turbaque voracior ipsâ
„ Efficitur: ita ſiderati iſti, quo plura cõgeſſerint, hoc ardent plura congerere: & ingeſtę in auaritiæ barathrum pecunię, cauſſa ſunt aliarum expetendarum: nec magis ſaturari queunt, vel auriferorum

rum ramentis amnium, vel montibus illis Arimaſporum, quos aureos eſſe perhibent; quàm vaſtiſſimus Oceanus, tot imbrium, tot fluminum perenni ſatiatur influxu. Eſt aliquid quod ad tantam queat miſeriam adiungi? Neſcio an maior, æqualis certè veſania illorum, quos vulgus *amantes* vocat, rectiùs *amẽtes* diceret; quibus ſanę mentis nec mica ſupereſt. nam ſi qua ſupereſſet, non videremus eos ſpurcæ cuiuſpiam lupæ ſaliuam bibere, & olidam ore animam haurire, putridis dentes labris illidere, hærere adfixos,

Lucret. lib. 4. „ Nequidquã. quoniã nil inde abradere poſſunt, niſi ſordes & cõtagionem. Audiant qui tales ſunt, ſi qui hîc tales, vnũ de grege ſuo, cuius ludi quàm verę pietatis doctiorem, ſuis coloribus hoc exitioſum oſculum egregiè depingentem. petit, „ Vdũ, molle, ſonans, tremulũ, ſerpenſq. tenaxq. Ah miſer! denota hoc votum. neſcis quantum malum petas. An *vdum*, quia cœno peccati lutulentum? an *molle*, quia Salmacis fontem imitatur, viros effeminat, adoleſcentes facit puellaſcere? An *ſonans*, quia præclarum nequitiæ tuæ præconium, à Deo peccati poſtulat vltionem? An *tremulum*, quia timor peccati comes indiuiduus, & timeant neceſſe eſt qui malefaciunt? An *ſerpens*, quia ſerpit vt cãcer, ſæpè corpus, ſemper animam contagione inficiens? An *tenax*, quia te incautum vinculis irretit peccatorũ, &, niſi maturè pedem retrahas, vinctum pertrahet in infernum? ita eſt, tibi mi homo habe, quod optas, nulla nobis cupiditas tuæ felicitatis. Nos, quia Chriſtiani ſumus, quia non ſumus impij & ἄθεοι, credimus Spiritui ſancto dicenti [a]; *Fauus diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouiſſima autem illius*

quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps. Principiò scortilli suauium asserit esse suaue & dulce, verba quoque instar olei lenia & mollia: sed hoc mel mox in absinthij amarorem, immortalem nempe cõscientiæ vermem; oleum hoc in anceps & acutum ferrum commutari diuisionis, ab honestate, ab amicis, à Deo ipso, & in crudelem animæ necẽ desinere. Nam de eodem, posteà[a], *Fouea profunda os aliena, cui iratus est Dominus incidet in eam.* significat huiusmodi osculum, certũ esse Dei iræ, & mortis animæ instrumentum. *os aliena* vocat os impudicæ mulieris, eius inquam quæ vxor non est: hanc, qui osculatur (Salonius inquit) quasi ianuam pulsat *profundæ foueæ*, id est, inferni: &, nisi citò ab eius colloquio & osculo se subtrahat; deferente Deo, ilicò mergitur in foueã mortis idcirco enim addit: *cui iratus est Dominus, incidet in eam.* quàm præclarè Siculus ille clamat in Bucolicis? κακὸν τὸ φίλαμα τὰ χείλεα φαρμακὸν ἐντί. mala sunt hæc oscula, labra veneno tota tument, atque ipsa malum sunt labra venenum. Non addam de malis & perniciosis osculis plura. quem ista nõ deterrẽt; pulsare ad inferni ianuam, à Deo deseri, in diuinam iram incurrere, mergi non lente, sed ilicò in æternæ mortis voraginem; quid ad illum deterrendum queat sufficere, non intelligo.

[a] Prou. 22. b. 14 vt exponit Salonius.

Quid necesse vt nos Deus osculetur.

Ad vos redeo, (SODALES) ad OSCVLVM SPONSI inuito, qui hodie pro nobis homo factus est: qui, ex quo semel diuinum istud & ineffabile osculum, spiritualium osculorum seminium, benedictæ illi terræ sanctissimæ Virginis MARIÆ corpori, impressit atque inseuit, mirè prodigus factus est osculorum. inuitat quotidie cùm ad Exomolo-

mologesim, cùm ad sacrã Synaxim inuitat. Vsurpat illud, quod solæ mentes audiunt deuotæ, Iacobi Patriarchæ [a]; *Da mihi osculum fili mi.* nolite cõmittere, vt in Simone le prosovobis exprobret [b]: *Vent in domum tuam, & osculum mihi non dedisti.* Sed priùs cum Isaiâ purgate labia vestra. non amat cuiuluis oris oscula: sed labij tantùm (vt Iob ait) *veracis*: vt Sophonias, *electi*; vt Siracides sapiens, *sensati*; vt Salomõ sapientissimus, *Labij iusti, casti, recti um loquentis*: qualia Sponsæ labia, quę Sponso laudatore similia *vittæ coccineæ*, *& sicut fauus mellis suauitatem distillantia.* sint ergo sermones vestri coccinei caritate fraternâ; exemplo CHRISTI capitis nostri, cuius typus fuit vitta coccinea Rahab. Sint verba vestra veracia, honesta, casta, sensata, salutaria, peccatores ad pœnitẽtiam excitantia: vt mel hulcerum putredinem, sic verba vestra peccatorum saniem consumant. Incipiendum ab osculo pedis cum *Mariâ* peccatrice, per veram resipiscentiam, & seriam peccatorum detestationem. *omnes enim peccauimus*, omnes *iniquitatem fecimus*: *si dixerimus, quia peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* primus iste gradus adsurgamus inde ad manum IESV, per humilem, puram, & sinceram confessionem. CHRISTI namque manum osculatur ille, cui à sacerdote manus imponitur absoluente. Ita bene expiari à secundo ad tertium gradum tuti pedem attollamus. IESVM in altari osculaturi. nos ille tunc osculabitur osculo spirituali; quod tantò excellentius omni osculo corporeo, quanto lux tenebris, vita morti, sempiterna præstant perituris. hoc corruptibile, terrenum: illud incorruptibile, totumque diuinum. Qui hos gradus

a Genes. 27. d. 26
b Luc. 7 f. 45.
e de his Iob. 12. Sopho. 3 Eccl. 21. Pro. 10 14. 20. 21 & 23. & Cant. 4.
qualia labia necessaria, &
Iosue. 2. d. 21.
quibus gradibus ascendẽdũ.

dus negligit, vel graueolentiam recentium peccatorum ipſi CHRISTO *non diiudicans corpus Domini* (horreſco referens) in faciem, in os eructat; Iudas eſt [a], *oſculo filium hominis tradit.* interficiet illum Deus *ſpiritu labiorum ſuorum, de quibus exit ſpiritus flamma*; cumque *buccella* panis *Satanas in* cor *eius intrabit*: vt, qui Iudæ culpam imitatur, conſortium ſupplicij ſubeat. Sed finem facio dicendi. benè erit, abundè erit (SODALES) ſat profecero: ſi vel hoc vltimum veſtras aures crebrò perſonet; ſi hoc memoriæ iugiter obuerſetur. Deum OPT. MAXIMVM precor, vt id mentium veſtrarum libro litteris indelebilibus inſcribere dignetur. AMEN.

a 1. Cor. 11. g. 29. b Luc. 22. c. 48. c Eſd. 4. d. 13. a. 10. d Ioan. 13. c. 27.

Dicta Leodici, anno M. D. XCI.

IN

IIII.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS.

PROPOSITVM.

Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho. ECCLESCI XXIIII. V. XIIX.

ICVT olim Hybla mater florum illac iter facientibus, amœnitatis ſuæ delicias varias offerebat : ita concluſus diuini ſpõſi hortus MARIA (SODALES) cæleſtium florum fæcunda parens omnigenæ virtutis honores veſtigia vitæ ſuæ legẽtibus oſtendit. Sed Hybla flores caducos offerebat;quorum fragrãtia exiguo temporis momento durabat; qui leui carpti digito, vix halitu aliquo refectis hominibus exhalabant, & marceſcentes omnem ſubitò gratiam perdebant:mella denique quæ apes inde delibabant, ſatietatem, & amaram quandam nauſeam multum ſumentibus adferebant. Contrà Marianus Paradiſus perpetuam nobis offert voluptatem, vtilitatemq́ue.poſſumus iugi eius ſuaueolentiâ æternùm perfrui.quandocunque lubet purgatis auribus & ſtrennuè expanſo vacui cordis ſinu virtutes eius præli ſudore, vel calami ſedulitate, vel fidelis eloquij narratione propoſitas excipere. Ex hoc roſario,tot nectaris dulciſſimi ſtillicidia guttatim defluunt,& velut lento defruto caryni Hymettij regales cæleſtis palatij menſæ onerantur,vt vel reliquiis colligendis nulla mentium humanarum caniſtra ſufficiant : eaq́. mellis iſtius indoles eſt, vt nullum eius faſtidium veſcẽtes capiat : quo plus comederint plus eſuriant,& reno-

Apud Adhelmũ, pro cariná lege cari no vel caryno.

renouatâ ſemper auctaque dulcedine recreentur & roborentur: vt eos decet, qui non de terrenâ, ſed, vt vocat B. Damaſcenus, de diuinâ mannæ vrnâ biberunt. Igitur cùm tam ſint excellentes huius horti flores, cum florum tam diuturna ſuauitas, tam ſuauis diuturnitas; nónne placet (SODALES) veſtigiis detectis inſiſtere pergamus? vt quemadmodum ſagaci odoratu diuini catuli, qui de mensâ Domini cadentibus micis paſcimur, etiam ROSÆ MYSTICÆ dignitatem & laudes proſequamur? Multas enim areolas perluſtrauimus; præcipua manſit intacta; varios flores attigimus & libauimus, floré florum pes noſter præteriit, manus non attigit. Si quam cerneretis apiculam in Hyblà volitantem, modò teretes hederarum corymbos, modò dulces florentis tiliæ ſurculos, modò thymi odores, modò croceata geniſtarum cacumina, modò pallentium violarum ſuaues diuitias ore legulo populantem, & numeroſis crurum atque coxarum villulis implicantem; vnicum verò roſæ melligeræ candidum decus neglectim tranſuolare: nónne tangeret animum vehemens admiratio rei nouitate perculſum? Quid igitur nobis in mentem venit, vt dum bibulà ſanctaque curioſitate per florulenta Paradiſi huius ſpacia longè lateque vagamur, & hoc pancarpineum ex omnigenis frondibus floribuſque ſertum pangimus & conteximus; non ego tantùm, ſed & alij, qui hanc Spartam me feliciùs exornarunt, floris venuſtiſſimi immemores, rutilans eius oſtrum candentibus liliis, vel candorem eius niueum purpureis iacinthis, miſcere hucvſque diſtulerimus? credo metus & reuerétia cunctos deterruit atque repreſſit. Equidem ſemper ſum veritus, ne velut flumine copioſo atque præcipiti hau-

Damaſc. in hym. de Annũciat. χαῖρε θεοτόκε παρθένε ἁγνὴ μήτηρ.

Aldhelmus de laude virginitatis.

haurientes fluctu fluctum propellente ſiticuloſos ex cõuiuio auditores dimitterem: ſed myſticæ roſæ amor tandem peruicit, & caritas foras timorem miſit. Etſi enim quicquid dixerimus, id ſatis non ſit, ſi dignitatem MARIÆ attendimus: tamen quicquid dicemus, id ſatis erit, ſi benignitatem eius aſpicimus: quia quicquid ex bono affectu promitur, id ipſa ſatis eſſe ducit. Quare ſtatui ſumtâ de pietate audaciâ rem aggredi, & quæ de Ierichuntinâ roſâ Deus ſuggeſſerit in medium proponere, prout quidque ſe dicenti obiecerit. Vbi res explicanda modum omnem ſuperat, modus fuerit optimus nullum modum tenere. Infinitæ rei ordo eſt, ordine carere; vbi nec ſit vnde inchoes, nec in quo definas: vbi nec medium à carceribus ad calcem ducat; nec initium à progreſſu, nec ab vtroque terminus diſcernatur. Infinitum, immenſum, interminum, ineffabilem, incomprehenſibilem hodie Domus aurea comprehendit: quis vel eius laudes, vel diei myſteria certâ methodo vel orationis ſerie ſperet ſe complexurum? Conabor tantùm in mentium veſtrarum puros (vt confido) ab inquinamentis vitiorum alueolos effundere, quæ in Ierichuntinâ hac plantatione floridiſſimâ. non inſuauia (vt ſpero) nec inutilia fauorũ coagula coëgi; vt in animis quoque veſtris ex auditione;

Cerea gemmatis flaueſcant mella caniſtris
Stipentúrque ſuis aurea vaſa fauis.

Tranſeamus in Iericho cogitatione, non in illam à Ioſue maledictam, amarâ, ſterilem, inſalubrem: ſed in eam, cui Eliſeus benedixit ſalubrem, fæcundam, ſacratam. Iericho humani generis typus eſt. quid hominum vitâ inconſtantius, mutabilius, vanius? Iericho Lunam ſignificat, quam Hebræi

Hebræi ob varias & multiplices eius facies, vultumque numquam diu eundem, plurium numero IARE'CHA nuncuparunt. inde Iericho dicta. ירח
Migraſtis (SODALES) ex maledicto obnoxiâ, in benedictam; quando ex variis vitiis & errorum diuortiis ad rectam viam vos frugemque bonam recepiſtis: quando ex conſito tribulis ac ſpinis ſaltu, in amœnũ hoc Sodalitatis Marianæ roſarium commigraſtis, hoc eſt in Ierichuntẽ nouam. Stultus veteris Ierichuntis habitator, quæ in deterius minuitur, mutatur ſicut Luna decreſcens: ſapiens inquilinus nouæ, mutatur etiam in hac vitâ, verùm vt Luna creſcẽs, ad meliora ſe cariſmata extendens *vt ordinatione perſeueret dies.* Sodalitas noua eſt Iericho, non mutabilitate aut inconſtantiâ animorum, ſed quadam proficiendi æquabilitate, donec perueniat ad perfectum virtutis diem, cuius claritas nunquam deficiat, nunquam obnubiletur. Regina cælorum veterem calcat Ierichuntem, quia *Sol* eius *amictus, & Luna ſub pedibus* ſcabellum *eius.* Sub pedibus etiam veſtris eadem quamdiu prauis affectibus ſuperiores vos ipſos vincere conamini. Defuncto Eliâ, ſucceſſor eius Elizæus in Iericho habitabat. ad quem accedentes viri ciuitatis dixerunt ei; Habitationem ciuitatis optimam, ſed aquas fontis quo regio rigabatur peſſimas eſſe, & ideo terram ſterilem. Miſertus propheta iuſſit vas nouum fictile adferri, & in illud ſalem inici poſtea ad fontem progreſſus vas in eum inuergens ſalutari libamine aquis dulcoratis ait; *Sanaui aquas has, & non erit in eis vltrà mors neque ſterilitas.* Ioſephus fæminarum quoque ſterilitatem addit, aquarum vitio ſolum hominesq. iuxtà inficiente. Poſt hanc Eliſæi benedictionẽ, & ſalis immiſſionem (ô rem pro-

Pſal 118 v. 91.

Apo. 12. in prin.

3. Reg. 2

lib. 5. de bell. Iudæi. c. 4.

prodigiosam!) qui fons famis & orbitatis fuerat causa, repentè sobolis & frugum auctor exstitit. Mox illic nemorum & hortorum plantationes emergere, virgæ opobalsami pretiosissimi frutticare, palmarum cellarum vertices nubibus minari, mirobalani & cyperi suauitas mirificè pullulare, nudum prius & ieiunum solum rosariis iucundissimis exornari. Tantum modici salis infusio potuit; quòd esset alterius præstantioris mutatio-
Iosue 6. v. 26. Gen. 1. v. 7. nis fida figuratio. Agrum Ierichūtis Iosuana maledictio Anathemati subiecerat: Hominem Deus in primo generis auctore sterilitate damnarat. eò quod APHAR minutus terrę puluis in argillæ modum aquâ per figulum peritissimū optimè temperatus, contra plasten suum se superbiâ extulerat; qui iustâ succensus indignatione vas in honorem initiò creatum, dissipauit, & in contumeliam formauit. fons originalis iustitiæ exarescens vel amarescens, pro dulci scaturigine, cinerem; & pro virtutum flore squalorem vitiorum cœpit euomere. Multorum ista sæculorum sterilitas perdurauit. Tandem misericors & miserator Dominus, vas istud inhonoratum assumens iterum rotæ imposuit, finxit, rotauit; donec virguncula nata, quæ quod Eua per arrogantiam Dei quandam similitudinem affectans perdiderat, hoc ipsa per humilitatem seruitium Domini professa hodie recuperaret, ac væ illud quod testæ de Samiis terræ fictori suo contradicenti adhæserat obedientiâ duce auelleret, & Angelico prolatum ore AVE felicissimum audire mereretur Sic hodierno die Ierechuntis anathema sublatum: sic cordis humani fontem Elizeus, Deus Opt. Max. vt hominis creator ita & saluator, hodierno die discussâ morte sanauit. Gratias Deo Patri (iuuat enim excla-

exclamare cum D. Augustino, siue quis alius est auctor libri contra Fulgētium Donatistam) gratias Deo Patri, qui quod futurū illâ figurâ ostenderat, in nobis id tandem fidelis impleuit Gratias (inquam) Deo Patri qui nō Angelos solùm, non prophetas sicut priùs, nobis in mundum, in hanc nostram Iericho; sed proprium Filium hodie destinauit, Dominum Angelorū & Principem prophetarum; qui aquarum sterilitatem, hoc est virtutum infæcunditatem, discussâ peccati morte sanaret. Vas fictile accepit. quid illud, nisi corpus fragilitatis humanę? sal in illud misit. quem salem nisi Verbum æternum? Salem non terræ tantùm sed cæli, diuinâ sapientiâ cuncta salientem; cuius quicquid est expers, insipidum, fatuum, insulsum, & inconditum est. hunc salem in fontem iniecit. cur? nisi vt fonte ipso sanctificato, quacumque flueret omnia quæ rigaret arua fertilitatis suæ & sanctificationis participia esse iuberet? dixit & factum est hodie, quia Dei dicere, est operari & perficere. quis autem iste fons fortunatissimus alius, quàm *fons signatus*, fons hortorum, MARIA mater Ecclesiarum; qui *fons creuit in fluuium*, & *in lucem solemque conuersus est*, & *in aquas plurimas redundauit*: è quo fluxit *fluuio dioryx aquæ immensæ inebrians hortum plantationum suarum; inebrians prati sui fructum*. Non cuiuscunque prati, sed planè fertilis & viridantis, παράδεισον vocant Lxx^ta. nos viridariū possumus, vel areolam hortensem. Areolæ sacratissimæ Virginis sunt in Iericho per Europam sparsæ, & in ipsas Indias propagatæ Sodalitates. In hanc vos παράδεισον Virgo beatissima transtulit, vt singuli sitis plantæ singulæ, non viles plātæ, sed rosaceæ. Ecce vbi laciniam orationis hamatus rosæ vncinus vagantē retrahit.

Tom. 7. operum D. Aug.

Cant. 4. v. 12. Esth. 10. v. 6.

Eccli. 24 v. 41. d. e. 24. v. 40.

trahat,

trahat, non laceret. ſequamur quò vocat ROSA MYSTICA, quæ decus & gloriam roſarum peperit, IESVM MARIA. nonne roſam ſe profitetur? inquiens in Cantico Canticorum: *Ego flos campi.* flos de Ieſſeâ radice aſcendens. flos florum, roſa. docet fons Hebræus, HABAÇELETH HASARON. roſa ſatura, non Iudeæ ſeptis incluſa, ſed humano generi toto, in campeſtri huius mũdi planitie expoſita, pulchritudine & amœnitate cunctos ad ſe pelliciens. Roſa in cælo patrem habet ſolem, in ſolo plantam matrem. CHRISTO in cælis Deus pater, in terris Virgo planta mater. Roſæ ſolis calore, & roris influxu gignuntur. CHRISTVS altiſſimi virtute obumbrante & Spirituſſancti ſuperuentu irrorante de Ieſſeâ radice aſcendit. Roſarum quæ toto penè naſcuntur orbe, laudes præcipuæ à colore, odore, medicinâ petũtur. Sapienter enim Euſebius tradidit, roſam non voluptatis tantùm, ſed & vtilitatis cauſâ creatam à Deo. Color pulcherrimus eſt, nempe ruber vel candidus. quos colores ideo ſpõſo ſuo, qui ſe roſam vocarat, ſpõſa in cãticis tribuit. quos D. Nazianzen. virginibus tã ſtudioſè cõmẽdauit. quos eius ſoror Gorgonia ſe præ ceteris amare & magnificere profitebatur. Nihil Deiparæ fuit ardẽtius caritate, nihil eiuſdẽ candidius caſtitate. Odor roſæ ſuauiter ſe longeque diffundẽs nomini cauſam præbuit. Plutarchus ῥόδον dictam cenſet, quaſi ῥεῦμα τῆς ὀδμῆς, quòd largum odoris effluuium emittat. Deiparæ laus & vitæ totius odor talis ſemper fuit, vt omnes animo ſaltem ſuſpicere & collaudare cogerẽtur. Exſtitêre ſoli his nouiſſimis temporibus obſcœni quidam in libidinum ſterquiliniis nati & educati ſcarabæi, qui MARIÆ roſaria, laudes & memoriam auerſarentur. cur, putatis?

Cant. 2. v. 1. Iſai. 11. v. 1.

חבצ-לת השרון

li. 8. præpar. Euã gel. c. vi.

Cant. 5. v. 10. Carm. de inſtitut. virgin. & orat. 25. de S. Gorgo.

niſi quèd roſa myſtica omnes hactenus hæreſes interemit; ipſi vero ſibi eſſent conſci; ſe ſcarabæorum illo ex genere eſſe, quos roſarum ſuauitas ſolet enecare. Fruantur oleto ſuo vt lubet; nos communem hominum ſenſum ſequamur, qui trito illo prouerbio quanti roſas faciant, indicarunt; quo cum gratiſſimum iucundiſſimumq. ſermonem ſignificaturi. *Roſas loqui* dicũt. Vnde & Perſiana nutricula ſic alumno beneprecatur;

„ *Quicquid calcaueris, id roſa fiat.*

Hoc ſoli B. Virgini proprium fuit ante Chriſti Domini Natiuitatem; cum filio matri commune fuit. ſi loqueretur, roſas loqui; ſi quid ageret, manibus roſas fundere; ſi quò pergeret, greſſibus roſas naſcentes premere. Tradit Ariſtoteles roſarum, optimi odoris eſſe, quarum aſperrimus eſt vmbilicus: eum opinor veteres bonum vmbilicum vocaſſe. quia quas volebãt innuere fragrantiſſimi odoris, aiebant bonum vmbilicum habere. Vmbilicus luxuriam denotat, teſtatur ſcriptura, cùm ait; *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius.* Sicut ergo à principali ſexu lumborum nomine alibi luxuria deſignatur, ſic ab eo ſexu qui & ardoris huius flammis agitur impotentius, & viros ipſos corripere conſueuit, vmbilici vocabulo vitium idem poſſumus accipere: *hunc vmbilicum* igitur qui lumbos per carnis continentiam coarctantes ſuccingunt, & ſpinis pœnitentiæ & abſtinentiæ probè vallant & obſepiunt; iis ſanè aſper & ſpinoſus ac proinde optimus eſt vmbilicus. eorum caſtitas olet ſuauiſſimè. illi optimæ ſunt roſæ. De ſpeculi huius ſine maculà puritate tacere me præſtat quàm loqui, quoniam vt par eſt loqui non poſſum. Erant æui eius virgines, cæparum & alliorum inſtar odore viroſo;

9 Probl. ſect. 12.

Athenæ. lib 15.

Ioh. 40. v. 6.

D. Greg. hom. 12 Euang. S. ni lib. vſq; pri mũ.

viroſo; quoniam virum omnes deſiderabant: eo clarior Virginis virginum caſtitas, vt lilij inter ſpinas; eo ſuauior fragrantia, vt roſarum; quas ſi iuxta fœtores illos conferas, odoris fiunt efficacioris, & viciniæ graueolentia flori roſaceo beneuolẽtiam adauget. Theophraſtus auctor eſt roſas quibus pauca ſunt folia, iis quę multis luxuriant eſſe prę-ſtantiores: quæ quinque habent folia dũtaxat optimas, quæ centifoliæ dicũtur viliſſimas. folia noſtra verba ſunt, eorum vitanda ſuperfluitas etiam bonorum. IESV matrem vix quinquies in Euangelio locutam legimus, ſemel Angelo, ſemel Elizabethæ, ſemel menſæ miniſtris, bis filio. nonne hæc roſa Pentaphylis, quare & præſtantiſſima? Præſtans iſta ſuauitas odoris, ſed quæ illam conſequuntur vtilitates multò ſunt excellẽtiores. Prætermitto ceteras quæ plurimæ ſunt, ad viuentium morbos repellendos, & incolumitatem ſingulis ferè membris corporis reddendam. illud vnicum conſidero, mortuis etiam & ſepultis eſſe fructuoſam, cùm carnei reſiſtat, & putredinem, odoremque tetrũ arceat. Hoc voluit Homerus, acutum mẽte cernens, fors & oculis corporis, ſi quod vero haut abſimile, Herodotum malignitas hic excæcauit. oculatiſſimè certè hoc Homerus vidit cum finxit cadauer Hectoris à Venere oleo roſaceo inunctum, & hac ratione à canibus & alitibus, quibus laniandum ſtomachoſus ille Thetidis filius obiecerat, præſeruatum. Quanto verior hæc laus roſæ noſtræ Ierichuntinæ, quam in floridâ Nazareth Angelus hodie inuentam ſalutauit? quot corporis illa morbos, quot peſtes animæ olim repulit, & quotidie repellit? infiniti in ſordibus peccatorum computreſcerent niſi floris iſtius odor eos reficeret & ſolidaret. quid mirandum? quæ ſi-

Vide Plinũ lib. 21. c 4. 18. & 19

cut plãtatio roſæ in Iericho, eadem *quaſi myrrha electa dat ſuauitatem odoris*. quàm ſimilis hæc mater filio? filius vt roſæ campi, ſic & *faſciculo myrrhæ* aſſimilatur: mater, vt roſæ plantationi, ſic etiam *virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ cõparatur*. Eius oleo deuotionis & exemplorum quiſquis fuerit delibutus, etiamſi (quæ noſtra fragilitas eſt) ſpiritualiter interdum moriatur: non tamen computreſcit, non ſoluitur in corruptionem. iuuat enim illa ſuos famulos, quam iuuat miſereri, & in fæcibus defixis manum porrigit miſericordiæ mater. Quemadmodũ Reſpha ſubſtrauit ſibi cilicium, & pernoctans in cuſtodiâ filiorũ ſuorum, ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eorũ cadauera; nõ permiſit aues eos lacerare per diẽ, nec beſtias per noctem: ſic, & maiori longe curâ & affectu, tu (ô clemens) verè Reſpha, hoc eſt, pruna flammis caritatis ignita, Sodalibus, filiolis tuis, quos Chriſto peperiſti, adſiſtis anxia, & à dæmonibus, aëris ſcilicet volucribus, & ab hominibus prauis, terræ beſtiis, eos tutaris, donec, donec diuinæ miſerationis imber copioſus eorũ cadaueribus irroret, eoſque per pœnitentiam, de peccati cruce depoſitos, CHRISTO Domino conſepeliat, & aſſerat libertati. Quæ tũc lætitia bonorum omnium! quod Angelorũ gaudiũ ſuper peccatore pœnitentiã agente! quantâ tunc ipſe Dominus (ſi fas ſic loqui) lætitiâ perfunditur, cùm videt diuini ſui ſanguinis pretium in hoc miſero non dilapidatum! Nónne hæc roſa Diuûm hominumque voluptas? Salue,

Rech. 2. v. 10.

Cant. 8. v. 13.

Cant. 3. v. 6.

1 Reg. 21.

רעפה

ῥόδα καὶ θεοῖσι τέρπνα,
ῥόδα καὶ βροτῶν τὸ χάρμα.

Anacreon.

AVE roſa GRATIA PLENA. fremat impietas, ringatur malitia, rumpatur inuidia Antidicomarianitarum. GRATIA PLENAM dicimus, dicemus dum

dum viuemus. Nónne ſic Angelus hodie compellauit? Nóne ſic Eccleſia Catholica in hodiernum vſq. diem cecinit? ſic omnes Latini Patres, ſic omnes Euangelici codices, vſque ad libriperdas iſtos Eraſmum & Vallam, & deterrimos Lutheri, Caluiniſque ſectatores, exhibuerunt. Sic Græcus D. Lucæ contextus accipiendus, χαῖρε κεχαριτωμένη, deductâ voce non à χαρίζομαι (quod nolié Catholico interpreti Stellę excidiſſet, quem amor vocis patriæ hinc deducendæ fefellit) ſed vt Chryſoſt. docuit, à χαριτόω, quod vberiorem gratiam denotat; inuenisſe namq. ſignificat Angelus gratiæ plenitu dinem, nõ qualem ceteri vlli ad id tempus homines, ſed longe maiorem & matre Dei futurâ dignam; vno Deo, qui ex eâ naſciturus minorem. Deinde quis dubitet Angelum vulgato Iudææ temporis illius idiomate ſacratiſſimam Virginem compellaſſe quod Syriacum nemo negauerit: vt ſuauis ſit Beza, qui Hebræam nobis obtrudit vocem. ab exordiis autem Eccleſiæ Syri formulam Angelicæ ſalutationis certam habuerunt, quam in teſtaméto Syriaco legimus, in eâ continetur, GRATIA PLENA, SE'LAM LE'CHI MALI'ATH TABV'THA. *Pax tibi, ô plena gratiâ.* quo quid clarius? & quamuis Angelus non dixiſſet, *Maliath tabútha*; ſed vt alij formulam exhibent cum Caninio; RACHIMTA', participium iſtud nihil aliud ſignificaret quàm quę gratioſiſſima & acceptiſſima eſt. cùm igitur in confeſſo ſit, Syros Hebræoſque carere comparatiuis & ſuperlatiuis: & hanc ſcalam Grammaticam ex materiâ ſubiectâ petendam; & Reginæ ſuæ Angelus nihil detractum venerit, quæ priùs etiam grata & gratioſa & gratiam conſecuta fuerat, nunc autem erat plenitudinem omnis gratiæ in vtero ſuo acceptura;

שלם לכי מלית טיבו- תא רחימ- תא

Stella in c. 1. Luc

ho. 1. in c. 1. ad Eph.

acceptura; Diuus etiam Lucas quoad potuit accuratissimè Angeli mentem nobis proponere voluerit, ideoque nouum vocabulum quæsierit; sanè dubitari nequit, nisi à malè erga Dei matrem affectis, positiuum Græcum, vim superlatiui habere, & supremum illum gratiæ gradum denotare, quem pura creatura conscendere, vberrimamque gratiæ affluentiam, quam creatura poterat capere; quem optimè gradū noster expressit cùm *Gratiâ plenam* fuit interpretatus.

Sed Aláctoras istos sinamus, ad rosam redeamus. Rosa mystica fuit Domina nostra, & quidem *rosa in Iericho*. Num adspexit Syracides sapientissimus ad genus illud rosæ, quod inde delatum etiam hodie *rosam Iericho* vocamus. Venosus est frutex, odoratus quando recens, ramulis duriusculis, & spinosis, colore subflauo, bacculas habet racematim cohærentes, foliola oliuæ similia, flores violæ cādidos. non altè à solo exsurgit. Eam non monachi tantùm & mulierculæ, vt audaculus quidam medicus effutiit, sed & eruditi multi & sapientes viri *Rosam* MARIÆ appellarunt, iure quo qui optimo. Magna enim rosæ huius cum mysticâ rosâ est similitudo. Violæ candidæ similis est flos: quid virginum castitate purius & nitidius? folia sunt qualia olearum. Deipara, nónne oliua fructifera in domo Domini? nónne surculus oliuæ in Ecclesiæ arcam delatus, pacem mortalibus iræ diuinæ diluuio arefacto tam certam quàm lætam annuncians? baccæ racematim cohærēt. Beatæ Virginis caritas in omnes sese homines diffudit, & eos in cordis sui sinu colligens tam arctè cōplectitur, vt acinos plurimos vnius botri Cyprij, in crucis torculari exprimendi, aptissimè repræsentet. Subflauus est color amorum. pallor veri amoris

De descriptione cōflata ex iis quæ tradunt Lonicerus, Lobelius, & Salingiacus.

Balechāpius lib. 18. hist. p. m. c. 36.

amoris est color. quis sinceriùs & ardentiùs, Deum proximumq́, amauit, quàm (vt sic dicam) Æthna caritatis MARIA? Spinosi sunt ramusculi & aridi. tolerantiam denotant & abstinentiam. quid tota Deiparæ vita fuit aliud, quàm temperantiæ & continentiæ quædam idea; quàm paupertas, inopia, curæ, sollicitudines, ærumnæ, quàm cõtinua quædam patientiæ cos atque palæstra? Parum se humo frutex attollit? nihil humilius, nihil modestius, nihil animo demissius Deiparâ; quæ pelagus quoddam profundissimum humilitatis. Denique qui regiones illas accuratissimè lustrauit, & magnâ fide posteris quasi in tabulâ artificiosè depictâ spectandas proposuit Bartolom. Saligniacus testatur prope fontem Heliseæi, huius generis nasci rosaria; quarum fœtus istæ rosæ, quâ Saluator noster nocte nasci dignatus, quamuis exsuccæ sint & siccæ, paullatim sponte suâ hiare, & tandem se prorsus pandere: post eam noctem ramos iterum contrahunt, & in glomum sese colligunt. vidi nonnullas, & proculdubiò videre vestrum (SODALES) plerique non paucas. Id miraculi pia fidelium deuotio virgineæ partus honori communibus suffragiis adiudicauit. Dies miraculo consentit: & prærogatiua incorruptionis Marianæ miraculo respondet. Nam fatentur non Catholici modò Patres, Sancti Ambrosius, Hieronymus, Augustinus Chrysostomus & Damascenus, sed quod miremur magis apud Galatinum Rabbini Iudæorum ipsam esse portam Principis, *cuius nomen* teste Zachariâ, est *Oriens*: de quâ prædixerat Ezechiel, *quòd clausa erit & non aperietur, & vir non transibit per eam; quoniam* DOMINVS *Deus Israël ingressus est per eam, erit q́ clausa Principi.* quid? an Principem excludet? minimè gentium. sponte

Tom. 9. descript. terræ S. c. 6.

Vide Hieron. Pintum in Ezech. c. 44. Galatin. l. 9. c. 14. Zachar. 6. v. 12. Ezech. 44. v. 2.

lubenterque admisit, concepit, peperit. nõne hodie audiuistis consensum promptissimum? *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sed *clausa Principi*, quia cunctis ad aduentum vsque Principis clausa·*quoniam virum non cognosco*, quia voui virginitatẽ. quod vouit, reddidit. Semper enim clausa mansit, post egressum Principis. ingressu eius & egressu eius clausa permãsit. quia virginitatis signaculum permansit illæsum. sic fuit *clausa principi*; hoc est in Principis gratiam & cum Principe clausa. subiungitur enim causa huius mystetij, *quia Princeps sedebit in eâ*. hîc vt clausam ingrediens inuênit, sic egrediens clausam reliquit. clariùs hæc fons Hebræus explicat, quomodocunq. eũ dispungas, siue vt nũc habemus à Massoretis interpolatum, Principis nomine cum sequenti versiculo coniuncto: quod versio Lxxta confirmat, nisi nomen Principis inde loco priore exciderit. siue potiùs, vt noster interpres legit & longè commodius est, iungamus cum præcedenti, hoc modo וחיה עוד את חנשיא vehaiá sagúr etannasi, & *erit clausa cum Principe*. deinde sequenti versiculo, nasi hu. נשיא הוא *Princeps ipse sedebit* seu *manebit in eâ*. talis enim idiotismus hîc; *clausa Principi*, qualis quem ad Tertiam recitamus; *Memor esto verbi tui seruo tuo.* vt rectissimè dixerit B. Gregentius Herban Iudæum refellens, S. Ioseph sciuisse, quòd Virgo sacratissima esset Domino ac Saluatori nostro clausa & reseruata, incorrupta & integra, τῷ Κυρίῳ Ιεσῦ ἐγκεκλεισμένη τε καὶ τηρυμένη ἀφθαρσία. Soli igitur Principi aperta clausaque rosa mystica: quemadmodum soli Dominico Natali reseratur & clauditur rosa Iericho. Hanc de sede suâ vidit altissimus, placuit sibi in ancillæ suæ humilitate, de Iericho, quæ in

Psal. 119 v. 48.

demis-

demiſsâ planitie ſita, ex hac miſeriarum valle tandem aſſumptam ſuſtulit ſuper omnes choros Angelorum; vt quæ fuerat *ſicut roſa in Iericho*, eadem fieret *ſicut palma in Cades*. ſicut arbor celſiſſima in cælis aſſurgeret, quæ ſe inſtar fruticis humillimi in terris depreſſerat. Non eſt nouum Hebræis copulam pro particulâ rationali ſumere. hoc ergo loco dicit ſeſe vt palmam in Cades exaltatam, quia ſe vt roſam in Iericho depreſſerat. Palma victoriæ ſymbolum eſt, קדש ſanctitatem ſignificat. cælum Cades eſt, quia ſedes & thronus eſt totius ſanctitatis. & *domum Domini decet ſanctitudo*. cælum plãtatio eſt palmarum, quia nulli eò ſe penetrant, niſi victores. Ideo quæ legitimè certauit in Iericho, illa nũc in Cades triumphat. fors? an & ideo Iericho vocata ciuitas palmarum; quia quotquot in hac mutabilis vitæ militiâ ritè ſtipendia fecerint, hoc eſt roſæ fuerint; illi in ſanctitatis coloniam tranſcripti brauio accepto, palmis triumphalibus comparandi. legimus certè, *Iuſtus vt palma florebit*. ô felices nos omnes, qui in hanc â Deo ſortem vocati! qui non vt Abraham patriarcha in roboretum vel ilicetum quoddam, ſed in floridâ & amœnam roſarum plantationẽ traducti! Luſtrate pauliſper mecum roſetum iſtud veſtrum (SODALES). videte non valde diſparibus ætatum ſpaciis multiformes habitus roſarum. Eſt quæ anguſto foliorum galero tota contecta, faſtigiatum piramidis acumen primùm abſoluit, corpus reliquum viridanti vaginâ continet, hi ſunt qui deſideriis bonis pleni, vix tandem in bonum aliquod vitæ melioris ſpecimen erumpunt, ſpemque frugis faciunt. nõdum hi ſunt roſæ in Iericho. Aliam videas diu collectos in ſinum amictus lætam exſinuare, & folio-

Deut. 34. 3

Vide D. Aug. ſer. 68. de temp.

rum ſuorum cenſum meditari, & patulo ridentis calathi honore feminis incluſi crocum aureum oſtentare. Qui tales ſunt, Marianæ ſunt roſæ. Vtinam tales ſint animarum veſtrarum plantationes! Opto & decet eas non tantùm bonorum operum pollicitationem ſummis labris præferre, ſed ampliùs operibus ipſis quæ orando meditandoque concepiſtis, ea parere & in exempla monitaque proximorum depromere; ſicque ſpirituales theſauros virtutum pandere. Quid moramur? quid procraſtinamus?

Anacreon.

„ Cita namque currit ætas,
„ Rota ſeu volante curru.

Caduca eſt roſarum gloria. Videas in eodem roſario quam tranſiens florētem conſpexeras, mox rediens decus omne diuitiaſque ſuas amiſiſſe, & quæ denſo comarum igne micauerat, collapſis pallidam foliis emarcuiſſe. heu! quàm præcipiti formæ iacturâ vix nata cōſenuit, & tellurem nutricem exuuiis ſuis operuit!

Virgil.

„ Quàm longa vna dies, ętas tam longa roſarum;
„ Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.
„ Quam modò naſcentē rutilus conſpexit Eōus,
„ Hanc rediens ſero veſpere videt anum.

Quereris tam varij ornatus tam celeres ortus & interitus? miraris tam breuem florum gratiam eripi vix oculis oſtentatam? Quin potiùs quereris propriæ vitæ conditionem? quin ſpacia ſtadij huius tam coartata potiùs voluis cogitatione? quin incuriam humanam, & tēporis irrecuperabilem rapinam non magis deploras? ô ſpina pungens animum non inſensilem, mortis memoria, quis te queat euellere, quis diſpungat omnia pungētem! Irritiles ô homo licet, ſplendore nobilitatis (inquit Ambroſius) aut faſtigio poteſtatis, aut fulgore vir-

D. Amb. li. 3. Hexam. c. 11.

re virutis, ſemper tibi ſpina proxima eſt. ſemper inferiora tua reſpice. Super ſpinas germinas. nec prolixa manet gratia. Breui vnuſquiſque decurſo ætatis flore marceſcit.] Igitur cùm caduca vides roſæ folia, cùm arida contrectas, cogita ſic æuum tuum deproperare. Bonis operibus inſiſte dum ſanguis integer, dum vires illibatæ, dum floridum ver ætatis durat, dum lucent vitæ dies meliores. Si ſemel perignauiam & deſidiam defluxerint, fruſtrà ſit eos iterum ſperare vel optare. Quid? quod & felicior roſa;

Virgil. „ Qua bene, quod paucis licet interitura diebus,
„ Succedens æuum prorogat vſque ſuum.

Catul. „ Nobis vbi ſemel occidit breuis lux,
„ Nox eſt perpetua vna dormienda.

Heu! à quàm leui momẽto dependet æternitas! Si quo nos momento mors manu rapaci decerpens in latè patentem ſinum ſuum, quaſi floſculos à tenui termite auulſos, collegerit, roſæ fuerimus diuinæ gratiæ fauore florẽtes in palmas immutabimur. *Iuſtus* enim *vt palma florebit.* Sin verò nos inopinus interitus vitiis marcidos, gratiâ & meritis decaluatos, ſpineti non roſeti alumnos deprehenderit; væ, væ, væ miſeris; non immutabimur ad gloriam, ſed ad ſecundam mortem reſurgemus, vt ſpinæ cum ſpinis igne inexſtinguibili conflamamur. Cauete igitur (SODALES) cauete ne in hac Iericho vnquam roſæ eſſe deſinatis. Decidunt huius roſæ ſpiritualia folia, & ſpinæ fiunt hæ roſæ modis quinque. tot enim modis, qui ad virtutis hanc ſtiuam, ad hanc animorum agricolationem, ſemel manum miſerunt, comperio tam imprudenter, quàm impudenter retro aſpicere. Quidam ad ſuillas voluptates, quæ nec nominantur honeſtè ſe conferunt. hos recordari velim

lim vxoris Loth, quæ dum oculos conuertit, quò non licebat, salis sit statua, ipsa sibi insipida sed exemplo suo alios idonea salire: nec mulieris quidquam retinuit, nisi, quòd in eo sexu sordidissimum, flores menstruos, vt Tertullianus memoriæ mandauit. Et quid isti desertores aliud de Marianis rosis retinent rosarum, quàm quod in rosis pessimum, aridum pietate, sterilem virtute, truncum, & pungẽtem conscientias spinam præacutam? Nonnullos poculorum & epularum illecebræ irretiunt & abstrahunt qui vtinam recordentur filiorum Israël. hos accepimus cùm in deserto ad cucumeres & pepones, ad ollas carnium Ægypti suspirarent, concupiscentias in solitudine concupiscerent, & Deum in iniquoso tentarent, votorum compotes factos Deus super eos sicut pluui im carnes pluit, & sicut arenam maris volatilia pẽnata. manducauerũt igitur & saturati sunt nimis. felices iudicatis? adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Domini ascẽdit super eos, & occidit pingues eorũ serpent busimmissis, qui crudelissimè saturorum artus depascerentur. Sors nimirum hęc eadem illos manet qui ex Erythræo peccatorum mari semel erepti, sese poculis iterum, & gulæ barathris immergunt: qui manna Marianum, & cælestem Angelorum panem vt insipidum fastidientes, carnem concupiscunt, & post carnalia Epicuræorum desideria animis iterum abeunt. Quorum fides in culinis calet, spes in ferculis iacet, caritas in cacabis feruet: quorum pulmo templum, aqualiculus altare, sacerdos cocus, Dij sunt Edusa, Potusa, Comus. Alios duæ Sirenes suaui cantu irretiunt. opum spe dira cupiditas, & honorum dignitatumque ciuilium vel ecclesiasticarum fulgore obcæcans ambitio! pessimæ

Genes. 19. 16.

Tertull. lib. de arm. de Sodom.

Psal. 105. v. 14.

Psal. 77. v. 27.

simæ non malorum aliàs ingeniorũ pestes, quam multos laniastis! quàm multos adhuc, quos noui, quos norunt multi, pellaciæ vestræ impeditione coërceris? Non desunt, prô dolor! non desunt in hac Sodalitate tuâ (ô Virgo sacratissima,) non desunt, & fors hæc me dicẽtem audiunt; fac eorum animos penetrent quæ dicam. sunt hîc nonnulli Achani imitatores. Achan filius Charmi, verè Iosu. 7. Achan conturbans populum Dei, de anathemate Iericho clanculum furatur pallium siue paludamentum purpureum, & ducentos argenti siclos, & regulam auream. cui bono? causa necis quàm crudelis, tam ignominiosæ illi fuêre. væ misero, qui fulgorem arridentis fortunæ; qui splendorem tinnulum mundani boni, normam sibi suarum delegit actionum. Vtinam nullus hîc Achan Sodalitatis Marianæ cõturbator, nullus filius Charmi, vino vineæ mundanæ ebrius, qui improbi lucelli, aut fallacis honoris, aut opimi beneficioli per fas atque nefas parandi ostentatione se aliosq; seducat. Quis malus genius Brutios istos sic fascinauit, vt Baptistæ tunicam hispidam, & Eliæ zonam asperam cum glorioso sed pestifero Achani paludamento commutare cogitarint? vt admissi iam in religiosas colonias pretiosum, verè pretiosum quia salute animæ emptum; sed lethale, quia Iosue 7 v. 21 Gen. 35. v. 15. Hebr. 11. 37. mortem adferens æternam Achani ADDEKE'TH SINA'R, humili sed salutari ADDERE'TH SEA'R prophetarum, vt beluatum illud peccatorum, pilosis sanctorum ouillis & caprinis pellibus præferant? Non ita Rex Niniues, qui Babylonium gloriæ & superbiæ ornamentum exuit, & cum sacco cilicino commutauit, & prudenti consilio, sibi suisque exitium imminens auertit. Sed ita miserandus

אדרת שנער
אדרת שער

Ionæ 3 v. 6.

randus Achan, qui dum purpuræ ſplendorem affectat, ſaxa quibus interemptus ſanguine calido purpurauit Non ita vas electionis, qui hæc omnia vt Chriſtum lucrifaceret deſpiciens & conculcans, ſe ſuâ non fruſtratus, meliorem theſaurum in cælis inuenit. Sed ita perditionis vaſa, ſectatores Achor, qui cogitationes actionesque ſuas illâ metalli flauentis regulâ metiuntur, & dum in terris incertas ſectantur opes, excidunt theſauris cæleſtibus, & ſtercoribus boum, hoc eſt peccatis ſordidiſſimis pigri lapidantur. Belli & feſtiui, callide putant ſe religioſis illudere familijs. ſed qui religionum eſt auctor & caput Deus, non irridetur, verùm in eorum interitu ridebit. Si nulli quatuor iſtarum in hac coronâ claſſium; gaudeo fors tamen erunt, qui ad vltimam claſſem pertineant, cui præeſt doloſa vulpes proprij iudicij & voluntatis, quæ ſpecie maioris boni & deuotionis non paucos in præceps agere conſueuit. Hi ſunt reædificantes Iericho. Reuocate in memoriam Hiel illum de Bethel. Hic contemtâ Ioſuanâ imprecatione, muros Iericho inſtaurare dum aggreditur; primo in fundamenta lapide iacto, Abiram primogenitum ſuum amiſit. nihilo prudentior pergit in pertinaciâ; & ecce dum portas vrbis fabricatur, filiorum natu minimum Segub ſepelit. ſic vtriuſque filij orbitate ſuam luit temeritatem. conſiderate nunc, quid Hiel? certè videns Dominum. quid Bethel? domus Dei. quid Abiram? pater electionis vel fraudulenti cõſilij. quid Segub? roboratus ſiue fortior effectus & induratus. Quæ hæc Iericho? mundus & cõcupiſcentia eius. Quis maledixit & vetuit reædificari? verus Ioſue, IESVS Saluator noſter. qui reædificant? omnes ſanè qui

Ioſue 6. v. 26. 3 Reg. 16. v. 34.

vbi

vbi ſemel eius muros, per pœnitentiæ ſacramentum, vel etiam per votum, aut propoſitum bonum, quaſi tormentis labefactarunt & diſiecerunt; poſtea tamen prauis aliorum exemplis aut ſuaſionibus, vel ſuâ ipſi ſponte, & quodam tacito contemptu mandatorũ aut conſiliorum Chriſti Domini, ad ſæculum nequam quod ſtatuerant deſerere, vel errores ac tenebras vitę maculoſæ reuertuntur vel cogitant reuerti. *Hiel* eſt quiſquis ſemel agnouit ſe à Deo non hanc corporeâ modò vitam, ſed & meliorem illam vereq. vitalem gratiæ recepiſſe. Et quis noſtrũm id non videt ac profitetur? De *Bethel* ſunt, quotquot in Eccleſiâ Catholica vnicâ Dei domo degunt, vt (Deo laus) omnes qui adſunt degunt. quare poteſt vnuſquiſque in ſe hoc dictum putare, & ſe Hiel de Bethel eſſe agnoſcere. debet etiam quiſq. cauere, ne muros Iericho recidiuos ſtatuat. vereri aliquoi deberemus, ne in ſuppliciorum Dei grauiſſimum incidamus mentis cæcitatem. Vix enim fundamentum iacere poſſumus, quin primogenitus animi noſtri intellectus, *Abiram* noſter, qui voluntatis pater eſt & auctor omnis electionis improbæ, omniſque conſilij praui, confeſtim denſis errorum tenebris inuolutus in præceps ruat. vix erit vt ianuas vrbi appendere conemur, quin malitiâ obdurati, prauæ electioni obſtinationem adiungentes, nouiſſimam etiam & cariſſimam animi prolem lethali vulnere afficiamus; voluntatem dico, quam plerique teneriùs multo quàm mater filiolum vltimum ſolet, diligunt: atque ita Segub etiam amiſſo liberis orbati, mœrentes mœſti ad inferos comitemur. Q. anto fuerit ſatius ſi qua reſtant in nobis maledictæ huius

ſue 6.
16.
Reg.
v. 34.

ius Iericho ruta cæsa, si qua vestigia prorsus illa exscindere; sin nulla supersunt, sic obruere obliuionis & pœnitentiæ cineribus, vt æternùm sterilis, æternùm obruta & euersa perseueret? Excolamus amœnissimum rosarium Helizæi fonti proximum; vt quicquid agemus, calcabimus, loquemur, cogitabimus; id rosa fiat Ierichuntina. id odorem Marianum exspiret. ô quàm grati tunc & accepti essemus cælorum Regi! quid ille nob.. tunc posset denegare rosaceo hoc oleo delibutis? Memini legere Indorum Magos in arcanis suis prodidisse, si quis phialam rosaceo oleo nitido plenam dextrâ manu conceptisque verbis Deo obtulerit; & se postmodum hoc oleo inunxerit, tam gratiosum Principi quem compellabit futurum, vt ille nequeat votis eius non benignè respondere. Agite (Sodales) agite, mecum offerte hodie Deo Patri phialam olei rosacei pretiosissimi & incomparabilis efficacitatis plenissimam, sacratissimæ Virginis vterum purissimum. nónne hic est phiala cristallina, continens quem hodie excepit Deum de Deo, qui se *rosam* professus? cuius nomen *oleum effusum*? nónne hic oleum rosaceum, quod de trapetis Marianæ rosæ defluxit? hoc oleo se inungunt, qui filij matrisque exempla castitatis, obedientiæ, caritatis, ceterarumque virtutum imitantur. Quid ita delibutis Deus deneget? hoc quasi philtro rapitur altissimus in amorem: amat quicquid odorem Filij dilectissimi spirat, quicquid sponsæ gratissimæ colorem refert. nec sustinet quicquam denegare iis, quorum in facie videt sponsæ suæ similitudinem aliquam, quorum in vita fragrantiam aliquam Filij recognoscit. Pierius Hierogl. lib. 55.

Patere

Patere Virgo ſacratiſſima nos oleo miſericordiæ tuæ ſi non perfundi, guttulis ſaltem aliquot tingi. da ô *gratiâ plena*, nos gratiæ tuæ particulam nonnullam conſequi. *Dominus tecum* iugiter fuit, eſt, erit. tibi dictum *Maran amecht* auerte à nobis ſæuum illud Euæ *Máran atha*. Tu verè *benedicta inter mulieres*, quia *benedictus* cuncta benedicens *fructus ventris tui*; tolle à nobis maledictionem Iericho, profit nobis ſal ſapientiæ æternæ in vteri tui ſignatum fontem ab Elizæo hodie iniectus, vt aquæ cordis noſtri omni amarore ſublato perpetuum dulceſcant. DIXI.

מרן עמכי מרן

Louanij, feſto Annunciationis,
M. D. CXVII.

F IN

V.

IN EODEM FESTO.

PROPOSITVM.

Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.
ESAIÆ V.

PROEMIVM.

QVEMADMODVM cùm fauſtus alicuius Principis, recèns inaugurati, in primariam regni ciuitatem Introitus publicâ lætitiâ concelebratur; numiſmata metallo varia, ſed vnius Principis ipſius vultu ſignata, Regiæ largitatis teſtandæ gratiâ, ſpargi in vulgus conſueverunt; vt quod quiſque manu ceperit, id poſſideat & defruatur: ſic, quo die, ſæculis aliquot præteritis, in vterum ſacratiſſimæ VIRGINIS, Metropolim Eccleſiæ Catholicę, dominium animarum, ab hoſte infeſtiſſimo, crudeliſſimoq. tyrãno, vindicaturus Dominus maieſtatis & gloriæ DEI FILIVS, fuit ingreſſus; conſtitui (SODALES *lectiſſimi*) in cœtum hunc veſtrum, communis lætitiæ, & ſæculi felicitatis monimentum, ſpiritualia de loco ſuperiore miſſilia, materiâ diversâ iactare, ærea, quæ de ſæculi prophanâ litteraturâ; argentea, quæ de Orthodoxis Patrum libris; aurea, quæ de ſacris litteris mutuabor, voluntate & intellectu rapite, quod cuique maximè probabitur: & domum, vt in lautis epulis ſaturi conuiuæ ſolent, bellariorum vel ſcitamentorum aliquid vobiſcum recedentes abſportate. Verùm ne pretio falli, vel animo vagari contingat, vno cuncta legitimo Regis cælorum cuneo percuſſa notataque, pauculis Eſaiæ prophetæ verbis, velut margine titulari circumſcribam. VINEA FACTA Iſai. 5. a. 1.

EST

EST DILECTO MEO IN CORNV FILIO OLEI. quæ visa mihi valde accomodata solemni festo ANNVNCIATIONIS, quod SODALITATI præcipuum hodie celebramus. Quia VINITOR, Deus Pater est; VINEA, *Virgo* beatissima; VITIS, Saluator noster IESVS. hæc summa dicendorum. nunc in rem eamus. *Breuiarium sermonis totius.*

Agricolæ nomen summum illud NVMEN non dedignatur. Ipsa VERITAS; *Ego sum* VITIS (inquit) *vera, & Pater meus Agricola est.* Non essentiæ ac substantiæ, sed officij & efficientiæ similitudine: non falsâ specie & inani iactantiâ, sed adfabrâ industriâ & solido fructu nomen vtrumque repręsentantes. Si Pater *Agricola*, quia VITIS Filius; certè VINITOR Pater, quia VITEM procreauit. Vbi vero VINITOR & VITIS, ille sedulus & hæc fœcunda, quis reatur illic VINEAM defuisse? Quando hanc vineam plantauit? nõ ab æterno, sed in tempore. nam nec æterna est humanitas CHRISTI; quod deliria nostri temporis Vbiquitariorum conantur; nec naturæ diuinæ adspectu VITI Filius comparatur; quod Arius impię censuit, & iure à DD. Athanasio, Hilario, & Augustino fuit refutatum. quomodo tunc nos eius palmites essemus, cùm palmes & vitis oportet eiusdem sint naturæ? Sed VITI comparatur ratione humanitatis sanctissimæ: ideo VITIS factus, vt nos palmites ei posemus inoculari. palmites nos sibi non potuisset inserere, nisi Deus foret; sed tamen VITIS non foret, nisi VERBVM CARO FACTVM fuisset. Iam tum à mundi exordio Vinitoris munus Deus obibat, cùm *dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt* omnia. tunc icta Dei verbo tellus intacta priùs, nondum sibi creditas fruges reddere maturauit: tunc horti non adhuc cognitorum genera olerum

Ioan. 15 a. 1.

VINITOR *Deus meus tu plãtasti vineam*

Athan. in cõcil. Nicæn. disputat cũ Ario. Hilar. li. 9. de Trinit. Aug. in Ioan. tract. 91

Gen. 1. & 2. psa. 148 a. 5.

primò vt, nõ materialem,

Isai. 5. a. 1.

rum edere festinarunt: tunc inuisis anteà ripæ lætantes salicibus & myrtetis se comere gestierunt: tunc ingentia pratorum camporumq. spacia conditoris ad nutum culmis herbescentibus & variegatis floscul orũ picturis efflorue runt: tunc arborũ genus omne nouo miraculo folia cũ floribus, flores cum pomis præcoci fæcunditate promere deproperauit, quas inter fruticum & arborum VITIS Regina cũctis meritò multiplici caput attollebat. quæ describitur Nil eius trũco durabilius, nil eius folio lętius, nil eius flore odoratius, nil eius fructu dulcius autvtilius, nil artificiosius cõpositione eius atq. structurâ. Ex acini minuti minutissimo vinaceo tam excelsa fabrica consurgit. Surculi (vera hæc naturalis Historici descriptio) geniculatis scaporum nodis medullam intersepiunt. ferulæ breues, & ad summa breuiores articulis duobus internodia includunt. Vitalis illorum medulla ante se tendit, & longitudinem impellit quamdiu nodis peruia patet fistula; cùm verò concreti ademere transitum, repercussa erumpit vtrimque ab imi parte iuxta priorem nodum. hoc antequam cespitem faciat, in concauo *oculus*, in cacumine *germen*, posteà *gemma* nuncupatur. Ex tantillulâ gemmâ, palmites, nepotes, clauiculæ, folia, pampini, botri gignuntur. Sic vitis gemmat, sic viridanti pampino vestitur, sic velut amplexu brachiorum quicquid nacta est complectitur; sic assurgit, erigitur, matureſcit; sic ex sarmentorum articulis fœtum emittit. quale spectaculum, videre botrorum coronas pendentes, quasi ruris specioſi monilia pretiosa! quales deliciæ, carpere & sugere vuas aureo vel purpureo colore nos inuitantes, quibus cedat splendor hyacinthorum & candentium decus vnionum! Non substitit, non defecit in hac vite

Plin. lib. 17. c. 11.

ex Ambros. lib. 3 Hexameri. c. 12.

DEI

DEI largitas aut ſollicitudo: longè præſtantiorem addidit aliam, ſed ſpiritualem; quam totius generis humani nouali duabus viviradicibus (Protoplaſtos dico) primùm inſeuit, [a] & ſpiraculum illis vitæ inſpirauit: &, quoniam truncum flexibilem nouerat & caducum, gratiæ ſuæ pedamento maritauit, & originariæ Iuſtitiæ macerià probè vallauit, ipſumq. Adamum vineæ ſuæ cuſtodē inſtituit. Miſer ille, ter miſer ille *vineam ſuam non cuſtodiuit* [b]: ſiuit ſibi ſubrepere vulpeculam doloſam [c], quæ vitem hanc prima defloraſſet. Serpſit venenati morſus contagio ad penitam radicem. *conuerſa eſt Deo in prauum* [d] *vinea aliena, omnis* [e] *caro corrupit viam ſuam ſuper terram.* ſucceſſit [f] totius orbis eluuio. pauci per arcam ſurculi conſeruati, ſeminarium Patriarchalis vineæ à Noë iuſto [g] propagatum. Hæc vinea Domini Zabaoth poſt aliquot ſęcula in Ægyptum [h] tranſlata, illic ab immani apro Pharaone diu [i] conculcatur; donec miſeratus vinitor vineam ſuam eripuit Moſe [k] duce, per Ieſum verò filium [l] Nun in terrâ Promiſſionis iterum plantauit, vineis ſterilibus exſtirpatis, quæ terram lacte melleque manātem malè occuparant. Prô dolor, quàm nihil in rebus humanis felix, idemq. diuturnum? Fertilitas ipſius ſoli vineæ nocuit, & medicina tandem vertit in venenum. electa vitis adeò degenerauit, vt pro dulcibus vvis amariſſimas redderet labruſcas, & plus ſpinarum quàm botrorū in eâ vinitor inveniret. Quid faceret? totā perderet? tenerrimè diligebat. exureret vel eradicaret ad vnū vites adeò ſteriles, & quod grauiſſimum, ingratas? merebantur: ſed id nec promiſſio Patriarchis facta, nec miſerationum diuinarum viſcera patiebantur. Melius OPTIMO MAXIMO viſum; malis germina

Deinde & SPIRITVALEM qua multiplex 1. Adamus & Eua.

2. Patriarcha & populus Iſrael.

a Geneſ. c. 2. 8. 7. vide Irenæū lib. 4. c. 70.
b Cant. 1. b. 5. 9.
c Gen. c. 3 10.
d Ierem. c. 2. d. 21 21.
e Gen 6. c. 12. 12.
f Gen. 7. b. 10. 13.
g Gen 9
h Gene. 46. 8. 15
i Exo. 1. 2. 3. 16.
k Exod. 13. 17.
l Libro Ioſu. per totum.

meliora sufficere, vinetum restaurare, & Ecclesiam CHRISTI Synagogę substituere. Quęrenti terram tam pretioso dignam malleolo, VINEAM tali VITE dignam cogitanti, sapientium Georgicę disciplinæ magistrorum consilium arrisit; terram deligere, non infelicem neque calamitosam, sed lætam & quam DOMINVS benedixisset; terram non sanguine rubeam nec peccati leprâ canam, sed glebam pullam & post cognitionis sui vomerem nonnihil nigrescentem. An talis VIRGO DEIPARA? ipsam audite. quid ait? *Nigra sum, sed formosa: sicut pelles Salomonis, sicut tabernacula Cedar. Nolite me considerare, quod fusca sim: quia decolorauit me sol.* Felicem animam, quę sic in oculis suis decolorata! quæ tam magnificè per Angelum cōpellata, quæ nouale Spiritus sancti effecta, nō se sustulit, sed profundiùs etiā demisit? Placuit Deo deligere terram, quæ non foret arida, scabra, fistulosa, pumicosa, vno dicam verbo cariosa, sed tenera, mollis, temperata, roscida, nitida, huberrima. quid defuit horum B. VIRGINI? nec cariosa luxuriæ sordibus fuit, nec morositate scabra, nec animis fistulosa, nec vanitate pumicosa; sed mollis verecundiâ, sed tenera comitate, sed prudentiæ sale quàm optimè temperata, sed roscida deuotione, nitida puritate, vber & fœcunda virtutum plurimo fœtu. Cęsar Vopiscus, Rosiæ campos *Italiæ fumen* vocabat: quidni dicamus DEIPARAM cunctarum *fumen* esse *vinearum*? cuius pinguedo & opimitas se per vineas omnes diffundit, & inhærentes suæ VITI palmites cunctos fęcūdat. Quid ni, noster Agricola inuentâ tali terrâ, sibi in VINEAM deligeret? hodierno die delegit. hodie *facta est* hæc VINEA *dilecto*. CHRISTVS vt copiosiorem fructū gigneret, factus quod nō erat, non amittens quod

Tertia hu longè præstantior; in qua cōtinentur omnes bonæ vineæ; tum soli,

Catonis lib. 1. de re rusti. Plin. lib. 17 nat. hist. c. 5. Palladij lit. de agricult. 1. & 2.

Cant. 1. v. 4. 5.

quod lōgè aptissimum:

Varro lib. 1. de re rustica.

quod erat, hodie plãtatur in tellure cunctarũ gentium benedictionẽ proferente. cui Angelus[a]; *Benedicta tu in mulieribus*. de qua Dauid[b]; *Benedixisti Domine terram tuam*. de quâ Moyses[c]: *Nõ erat, qui operaretur eam, sed rigabatur à fonte ascendente de Paradiso*. virilis opera huic plantationi defuit, Spiritus sancti fluenta suffecerunt: ille superuênit, & *virtus altissimi eam obumbrauit*[d]. Sic FACTA EST VINEA, non in loco debili, sterili vel inaquoso: sed IN CORNV FILIO OLEI. sacro sermone CORNV locum Regium, editum, atque munitum significat. quia vox eadem קֶרֶן *Keren* Hebræis, vel cornu, vel regnum, vel robur. In CORNV VINEA locata, quia beata VIRGO Regiæ simul stirpis & sacerdotalis fuit, coronæ quasi hæres vtriusque: præterea genuit illum, qui[e] *Sacerdos in æternũ secundum ordinẽ Melchisedech*, & [f] *cuius in vestimẽto & in femore scriptũ Rex Regũ, & Dominus dominantium: cui Deus dedit sedẽ Dauid patris sui, vt regnet in domo Iacob in æternum, & regni eius non sit finis*. denique quia B. VIRGO turris[g] inuicta Dauid tot cincta clypeis aduersus machinas omnes inferorum, & omnes errorum turbines incõcussa. Vno quod verbo Gabriel Archangelus indicauit[h] cùm dixit; *Dominus tecum*. Quid timeat, aut quid non vincat, cui Dominus se adfuturum spopondit? Nõ minùs appositè CORNV istud dictum FILIVS OLEI. huiusmodi scitũ locutione[i] locum vberem & pinguem denotari. Si nomen hoc Palæstina[k] meruit, propter frumenti, lactis, vini, mellis & olei fertilitatem atque copias, nónne multo dignior hac laude MARIA, propter inauditam & planè miraculosam integritatis virgineæ fœcunditatem? simul effudit cum, qui lac est parvulorum, & grandium solidus cibus; qui simul

tum loci, qui metiõ dicitur cornu

filius olei &

a Luc. 1. c. 28.
b Psal. 84. a. 2.
c Genes. 2. a. 6.
d Luc. 1. d. 35.
e Hebr. 5. b. 6.
f Apoc. 19 c. 16. Luc. 1. e 32.
g Cant 4. b. 4.
h Luc. 1. c. 28.
i Sic docet versio. suâ Lxx. & paraphr. suâ Ionathan Chald.
k Isai. c. 5. a. 2.

est [a] *oleum effusum*, & *vinum* [b] *germinans virgines*, & *panis* [c] *vitæ*, & quicquid amari potest aut desiderari? ô qualis hæc terra! quæ sponte suâ nullis subacta ligonibus, auctumno fructus omnis est ferax, vere prima flores humo exserit, hieme aprica est nec comam ponit, æstiuo denique sole nemore & fonte frigescit!

a Cant. 1. a. 2.
b Zacha. 9. d. 17.
c Ioan. 6. d. 35.
Ex Symmachi epist.

repertus in Nazareth

Quo hæc loco Tempe quæreret, & vti cælestis nuncius inueniret, nisi in Nazareth, hoc est, florido & coronario solo? Huc delapsus, sacellum thalami castissimi subit [d], intentam sacræ lectioni, piæ vacantem meditationi salutat, cælestia mandata promit. VIRGO paret, Deique se ancillam profitetur. vt paruit, *Ecce Virgo* [e] *concepit*, Ecce [f] *femina circumdedit virum*, Ecce [g] *Verbum caro factum est*, FACTA *est* VINEA *dilecto*. VITIS in VINEAM inserta. ô vitem adorandam! ô VINEAM venerandam! Siste anime, siste: volubilem sermonis rotam sufflamina. quò ruis ardore præceps? quò subueheris, & alta petis, nec infantiæ, nec insciticæ sat memor tuæ? periculum video, fateor, formido me noui, vos noui VITIS diuina, VINEA diuina. sed quod noui, quod nosse dedistis exprimere non noui, & hoc ipsum quod noui quantillum est de hac immensitatis abysso? verumtamen tacere non possum, omnes ad se VITIS inuitat laborantes [i]: illa lactentibus verba suppeditat, mutorum referat ora, cùm lubet asinas facit disertas. Silere nequeo, me VINEA inuitat: *Transite* [k] *ad me omnes* (ait) *qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini*. verbum mundo dedi, me laudanti verba deesse non possunt. Cur diffidam? age, aude, anime, nec remitte generosum impetum; qui non ex arrogantiâ sed amoris fiduciâ profectus. Prome aliquid non ex te, sed ex VINEA, sed ex VI-

d Luc. 1. c. 28.
e Esai. 7. c. 14.
f Ierem. 31. d. 22.
g Ioan. 1. b. 14.
h Esai. 5. a. 1.
i Mat. 11 d. 28.
k Eccli. 24. c. 26.

Quales hæc VINEA?

TE

TE. inuitant? dabunt quid, quo modo eloquâre.

Plin. lib. 21 c. 21 Pallad. lib. 3. c. 27. Quam igitur te VINEA memorem! tu medicinæ scaturigo, quæ peperisti malorum omnium medicinam. *Theriacam* vitem laudat antiquitas; quòd epotâ virtute adfusi ad radicem medicaminis, vuas gigneret & vinum singularis efficaciæ contra noxios morsus quarumlibet bestiarum. quanto laude dignior nostra vinea! genuit nostræ VITIS humanitatem; quę plena diuinitatis suco (iecit enim radices in hypostasi diuinâ) præ omni theriacâ viget polletque ad cuiuslibet venenati morsus luem dissipandam. Ipsa nos id Mosaici serpentis figura docuit, quæ admorsos ab ignitis presteribus aspectu solo sanabat: nõne CHRISTVS vera vitis solet à serpentibus Phlegethontæis sauciatos, quorum venenum & maximè varium & lethalissimum, maiori facilitate ac certitudine reddere sanitati?

1. *Medicina scaturigo.*

nã Theriaca vitis.

Num. 21 & Ioan. 3. b. 14.

Quam te VINEA memorem? Tu lætitiæ scaturigo. Xenophõticus Socrates asserit sic augeri fructu vineæ lætitiam, quemadmodum flamma stillis olei augescit infusi. Apud alium prudens quidam vinitor Phœnyci suadet sub vmbrâ vineæ requiescere, quoniam ex eâ quædam quasi flabra gaudij soleant expirare. Quid nobis cum Philostrato, vel Xenophonte? firmiorem habemus sacræ scripturæ sermonem. Nouimus Parabolam illam, vbi prudentiæ magistra vitis delatum recusat imperium, ne foret necesse lignum suum deserere, quod (ô diuinũ elogium) *quod*, inquam, *lætificat Deum & homines.* CHRISTVM Dominum VITEM nostram legimus in sola loca transmare fugisse, ne ad regni solium raperetur, & sic ascẽdere & amplecti prohibereturlignum, à quo postea tantò feliciùs nobis regnauit; & sic botrus

2. *Lætitiæ scaturigo.*

In Sympos. fructu, fronde, vmbrâ.

Iudic. 9. b. 13.

Ioan. 6. b. 15.

ille torculari passionis non exprimeretur, cuius sanguis quotidie iugis & incruenti sacrificij oblatione, homines, Angelos, Deum ipsum inexplicabili lætitiâ perfundit. Quem non recreet atque reficiat hæc vmbra iucundissima? Hac protegi Dauid postulabat[a]: in hac victurum se Ieremias asserebat[b]: hanc apud Iebum[c] fidelis seruus desiderabat: sub hac mæstus & tædio vitæ plenus Helias[d] obdormiuit, & Angeli alloquio cælestique cibo pristinæ redditus fuit æquanimitati: hęc Sponsæ desiderium requies & deliciæ; *Sub vmbrâ* (cantillat[e]) *illius quem desiderauerā sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Ceteras (SODALES) vmbras fugiamus; vmbram[f] mortis, quâ nos peccatum obumbrat; vmbram[g] sæculi, fugacem; vmbram[h] Ægypti, grauem & fallacem. similes sunt vmbræ[i] Ionæ, statim euanescunt & in medio nos solis ardore destituunt. similes sunt vmbrę rhamni[k], vomunt flammas, quibus ipsæ cum supplicibus suis consumantur. quiescamus & consideamus sub hac vmbrâ; cuius me vel breuis ista commemoratio nonnihil delectauit.

a Psal. 16 v 9. b Thren. 4 d 20. c Ios. 7. a. 1. d 3. Reg. 19. 2. 5. e Can 2. a 3

f Psal. 43 c. 20 g 4. Esd. 2. h Esai. 30. a. 1. i Ion. 4. c 8 k Iudic. 9. b. 15.

Quam te vinea memorem? Tu libertatis scaturigo, de quâ fons perennis libertatis manauit. Bacchum gentes vitis inuentorem putabant, & ideo Græci Ἀναῖον, Latini Liberum nominarunt, & vinum libertatis symbolum censuerunt, ab effectu. quia curis soluit, mœstitiæ vinculis liberat, cetera commentitia sunt, hoc vnum nec sacræ litteræ siluerunt. Meminisse potestis & verò meministis opinor, Patriarchæ Iosephi[l]; cuius raræ in Dominū fidei merces iniqua carcer Ægyptius. *humiliauerūt*[m] *in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius, donec* (rem miram, sed fide certam) solo vitis illum somnio liberaret. eodem carcere

3. *Scaturigo libertatis*, de qua manat; qui generi humano libertatē, & genus humanū cælo restituit,

l Genes. 39. d. 20

m Psal. 104. b. 18.

carcere duo alij tenebantur Palatini Pharaonis: quorum alter Princeps pocillatorum *dormiēs vidit coràm se vitem, in quâ tres erant propagines, crescere paullatim in gemmas & post flores vuas maturescere*: mox in calicem se botros exprimere, & more consueto Regi propinare. Diuinus noster Oniromantes, vt audiuit, iussit ilicò bono illum animo esse, vitale illud vitis somnium felicis fortunæ prænūcium. tres propagines, tres adhuc dies esse, quibus peractis pristinæ felicitati restituatur. Fidem fecit euentus. Nostra VITIS, non vni pincernulæ, sed toti mortalium communi; non portendit, sed præbuit; non in Ægyptij Principis, sed in æterni Monarchæ regiâ, pristinum ius & dignitatem.

Gen. 40. b. 10.

Hactenus ingenij mei culpâ VITIS & VINEÆ laudes egregias non ornaui, sed destrinxi & deeuenustaui. Symbolum dicere debui & scaturiginem imperij & dominationis; cuius furculo competit potestas cælestium, terrestrium & infernorum. Refert Herodotus, de quo id Trogus & alij mutuati, Astyagem Medorum Regem in somnis adspexisse, de Mandanes filiæ suæ corpore, quâ mulier erat, vitem excrescentem, & Asiam totam fronde ramisque suis inumbrantem: consultos ariolos respōdisse proli nascituræ totius Asiæ imperium portendi. natus ex eâ Cyrus maior non vanam interpretationē, à Medis ad Persas translatâ Monarchiâ, comprobauit. Hodie nō in somnis videmus, sed in sacris litteris legimus, & oculis fidei falli nesciis cernimus orbis totius Dominum in vtero VIRGINIS concipi, & à cælesti VINITORE electam hanc VITEM in optimâ VINEA MARIÆ plantari. Nónne cernitis, *quo pacto iam operuerit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei,*

4. Symbolum & scaturigo imperij & dominationis.

cuius filius cælis & terris dominatur.

Herod. lib. 1. Iustinus lib. 1 Valer. Max. &c.

Psal. 79. 10.

Dei, & extenderit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius? Vbicumque ſunt aliqui Chriſtiani, vbi erunt, vbi fuerunt; illic palmites VITIS noſtræ ſunt, illic erunt, illic fuerunt. Hæc VINEA matrem Dei

Senec. in Herc. Fu ens.

„ Se ſe probauit inde, quâ lucem premit
„ Aperitque Tethys; quâ ferens Titan diem
„ Binos propinquâ tingit Æthyopas face.

Hanc VITEM verum Dei filium, verum Deum canit

Sene. in Octeo.

„ Vtrumque Phœbi littus & Scythiæ genus
„ Et omnis ardens ora quam torret dies

Vbicumque veritas Catholicæ fidei illuxit, vbicumque clarum iubar Solis Iuſtitiæ reſplenduit; ibi VITIS noſtra, ibi VINEA noſtra *florentes odorem ſuum dederunt.* ô vineam fœcundam vnâ in vite! ô vitem vnius copiâ botri copioſam! Laudent ſcriptores vuas illas digitales, quæ prælongis dactylorum acinis protenduntur; vel maiores alias vaccini ad inſtar vberis prægnates bumaſtos; vel grandiores adhuc interioris Africæ, quarum botriones ſcribunt infantis pueri magnitudinem ſuperare. quid ad noſtrum hæc botrum? quod culex ad elephantum, quod puluiſculus tenuis ad orbis totius vaſtitatem: nihil dixi; quod finitum ad infinitum. Iactent Euphorus & Metrophanes in Eucarpiâ minoris Aſiæ opido, tã immanes naſci racemos, vt ſinguli iuſta ſint ſingulis curribus pondera, & vnius tantùm vecturâ quãdoque currus confractus cõciderit. Vanitas gẽtis fidem narrationi detrahit. an vlli mendacio teſtis vnquam in Græciâ defuit? Nobis fidem aſtruit auctoritas ſacrarum literarum. botrum Paleſtinæ memorat, quem vix duo viri, cum vecte, ex Nehel-Eſcol ad filios Iſraël pertulerunt, vt fertilitatem terræ conteſtaren-

5. quas botrus hic omnibus vuis maior & præſtantior;

Digitalibus,

Bumaſtis, Africanis,

Eucarpis,

Stephanus in ἐυκαρπία.

per botrũ Paleſtinæ figuratum;

Num. 13 d. 24. Deut. 1. d. 24.

testarentur: ita pulcro schemate figurantes CHRISTVM IESVM medium inter propheticũ chorum præcedentem, & Apostolicum vestigia legẽtem, vt ait D. Bernardus[a]; vel inter Iudæorum populum præeuntem & Christianorum populum subsequentem, vt D. Maximus[b] affirmauit. Hunc botrum considerate qualis quantusque sit, qui *sine manibus*[c] amputatus *de monte vmbroso*[d], de *monte*[e] *qui super verticem montium cunctorum*, de *mõte excelso, pingui*[f], *coagulato*, monte denique[g] *in cornu filio olei* collocato *breui maiestate*[h] *nominis sui mundum totum impleuit*: cuius irati peccatoribus *minimus digitus grossior*[i] *est dorso* tyrannorum huius mundi; minima portio durior & ponderosior est totâ mole rerum creatarum. Propitius autem, totus quantus quantus est iste gigas, iustis cõmodior, facilior, leuior est, quouis ponduſculo. *iugum*[k] eius *suaue* delenit iugalem: *onus* eius *leue* adiuuat baiulantem: vis carpere, vult carpi & sequitur manum: vis exprimere, sucum gestit fundere quouis nectare & ambrosiâ dulciorem; sucum pretiosum, & sine pretio venalem; sucum rarum, & non carum. Vilent mihi præ hac vite, quotquot comperi vitium laudes. Quid mihi dices Lydia tot auriferorum mater amnium[m]. Pythij tui vitem auream obtrudis? possessor illius ampliùs sitiebat: hunc fuge botrum, & *non sities in æternum*. Quid ostentas[n] Fl. Iosephe similem ex eâdem gleba flauâ (nam quid aliud metallum istud adeò concupitum?) Aristobuli donum? falso vitis illa nomine dicta τερπολὴ. da, quod ex eâ verum possessor eius ceperit delectamentum. curæ possessio, iactura fuit dolori. Quid vel tu Amyntâ Macedo[o], *in statiuis* vel tu Chares Mitylenæe[q], vanas mihi gazas Persarum deprædicatis, & vi-

[a] In Cãtic. ser. 44.
[b] Ser. 75
[c] Dan. 2. g. 45.
[d] Abac. 3. a 3. secũdum Lxx & ibi Euthym.
[e] Isai. 2. a. 2. Ezech. 17. D. Greg. in libr. 6. Reg. c. 1. col. 3.
[f] Psa. 67 v. 16.
[g] Isai. 5. a. 1.
[h] Dan. 2 g. 47. & psal. 71. d. 19.
[i] Reg. 3. ca. 12. e. 10.
[k] Matt. 11. d. 30. Isai. 55 a. 1.
[m] Herodot. li. 7. n Ioan 4 b. 13. olib. 14. antiq. c. 15.
[n] Sic verto apud Athenæũ lib. 11. paullò post princip. qlibr. 5. teũab Alexan. Magno gestatũ

idem grauissimus, & idem leuissimus

Vitis ipsa datior aureis vitibus.

Pythij,

Aristobuli, &

Persarũ Regis

& vitem illam trunco, ramis, folio, pampinis auream, pergulæ in modum ſuper lectum Regium extenſam; cuius racemi ex pretioſiſſimis lapillis adſpicientium oculos hilaritate, animos admiratione implebant? dicite, quas illa vel ſollicitudines temperabat, vel ægrimonias animo abſtergebat? hoc vno fuit vtilis domino ſuo, vt auidos hoſtium animos cum reliquis diuitiis prædæ ſpe in poſſeſſoris exitium armaret. totum eius, quantumcumque pretium, nec vnius animulæ redemptioni ſufficeret. vitis noſtra omnem diſcutit angorem, omnem mæſtitudinem ſerenat, omni humanæ indigentię ſubuenit, paradiſus eſt omnium deliciarum, vnus eius botrus cūctarum lvtro præponderat animarum. Fruſtra ſit; qui vel Lesbia, vel Cretica, vel Maſſica, vel Falerna ſitienti animæ vina propinet. Viuat, vigeat in mentibus noſtris VINEA SORECH, ſicut viuit, viget æternùm in cælis; cuius botrus [a] caret lapillis, totus liquor, totus nectar, totus iucunditas, totus medicina. Palladius [b] & Columella [c] ſcribunt, artificio poſſe produci granis interioribus vuas carentes. imitatio cedat exēplari. minus eſt exprimere, quàm naturæ genio poſſidere. nunquam vllius artis ſollertia præſtantiam naturalis indolis æquiperarit. Vineæ noſtræ, VINEÆ SORECH botri ſunt ex pertes omnis timoris, periculi, moleſtiæ; ſolus adſpectus hæc omnia diſpellit. Quem non exhilaret varicolor [d] illa pulcritudo? candorem roſeus ardor accēdit, purpuram lenis albedo diluit: quoniam humanitas iuncta diuinitati. ſimul violaceum quid, & luteolū intermicat: vt & cæleſtem genitorem, & terrenam cognoſcas genitricem. Vinea noſtra, VINEA SORECH non loci cancellis (quis, cuius botrus cælum & terram implet, queat

Ipſa quæque vinea meretur nomē vineæ Sorech.

à lapillis & colore.

a de racemis Sorech id vocabit R. D. Kimchi, & alij.
b Palla. lib. 3. de re ruſt. c. 29.
c Columel. lib. de arboribus. c. 9.
d siccarū colorēdeſcribūt Forer. in Eſai. & Oleaſt. in Pēcateu.

queat termino locus definire!) sed meriti prærogatiuâ. Eâdem ratione VINEA CYPRI dici meruit, & Regina vinearũ ENGADDI. Nunquamne ſpõſam attendiſtis languidâ amore, madidâ caritate clamantem? *Botrus Cypri dilectus meus* (ſiue amor meus) *mihi in vineis Engaddi.* Sæpe audiuiſtis, non dubito, ſæpe legiſtis: ſed ſatiſne diligenter diſcuſſiſtis, & quâ decebat meditationis ſtaterâ trutinaſtis? Veteres vinum Cyprium inter generoſa vina, & Cyprum vt Amoris præſidi dicatam concelebrarunt. Inſula, vt noſter Arator cecinit,

„ —— fertur Amoribus olim
„ Dedita, ſacrilegæ manſiſſe libidinis antrum.
„ Aligeroſque vagos ſtudio coluiſſe procaci.

Quanto caſtius noſtrum vinum, quod libidinem refrenat, & virtutum ſuarum rorem in pectora luxui dedita inſtillans, quotidie perficit vt fructus pudicitiæ laſciuus ager multiplicet! Cyprus hæc caſti Amoris Reginæ ſacrata eſt: botrus iſte Cypri caſtitatis præſidium eſt, non inſidiæ; puritatis ſubſidium, non excidium. In Dianæ Epheſiæ templo, ſcribit Plinius, miraculo fuiſſe vitem Cypriam vnam, ex quâ dolati gradus omnes vſque ad templi tectum; ætate ſuâ illos perduraſſe, quibus vſque ad tam editæ molis laquearia conſcendebatur: nec vllius ligni, quàm vitis æterniorem eſſe naturam. Quaſi non vitis huius & initium aliquod & finem conſtet extitiſſe. Sola vitis noſtra, quâ Dei Filius, & initij expers & finis. Eadem ſuis gradibus vera ſcala Iacob, nos ad Empyreum vſque cælum peruehit, vltra hanc terræ, maris, aëris, & æthræ molem, vltra micantium globos aſtrorum. Vtinam hunc Cypri BOTRVM, vel perfidus Caluiniſta, vel pertinax Apella, fidei ſcypho excipere, & in eâdem nobiſcum

Cant. 1. 6, 13.

Plin. lib. 14. c. 17.

Lib. 1. Act. Apoſt.

lib. 14. a. 1.

& vinea Cypri, quia peperit botrũ Cyprium:

cuius vinũ præſtantiſſimum,

& Cyprus hæc caſti Amoris ſedes,

& lignũ eius æternum, & gradus ea eo ad ſcandendum eruchunt

Fruſtrà in ſudum NOVATORES, probet Cyprũ, noſtrum Cæſarea obtrudunt.

ſacræ

sacræ mensæ cõmunione vellent libare. nunc ille negat salutaris poculi veritatem: iste botrum ipsum vineamq. ipsam repudiat. Iactent, vt lubet, fanatici caput: vertant, girent, rotentq. se omnem in partem, vt volent, nunquã nobis hoc de CHRISTO, eiusque Matre testimonium Salomonis extorquebunt. Sic accepêre maiores nostri, DD. Ambrosius, Gregorius, Psellus, Iustus Orgelitanus, Rupertus, Haymon, & doctissimus Aquinas. sic accepère ipsorum Iudæorum maiores, licet paullò aliter Hebræa legerint Nam R. Berechias, R. Hanani, R. Ben Siren, hoc loco legerunt aliis vsi punctis *Iscol Haccopher Dodili* אִשְׁכֹּל הַכֹּפֶר דּוֹדִילִי *vir omnia pariens*, vel *omnia satisfaciens*, vel *omnia propitians*, *dilectus meus*. Vnanimiter tamen hunc virum Messiam esse fatentur; cui sit soli reseruata remissio, satisfactio, & propitiatio peccatorũ. At LXX^ta duo viri seniores, Synagogæ columina, & B. Hieronymus Catholicæ lumen, legerunt; *Escol Haccupher Dodili* אֶשְׁכֹּל הַכֻּפֶר דּוֹדִילִי. in primo vocabulo *botrum* retinent & consentiunt nobiscum Rabbini recentiores, & eorum Simiæ Caluinistæ: sed de sequenti negotium facessunt. non placet illis quod Origenes tradidit exponens de Cypéri arbusculâ. despiciunt & despuunt ceteros ad vnum Patres, qui *Cyprum* omnes agnoscunt. malunt insulsi pepones nouitium cõmentum, *copherãm*; *caphurã*, vel *camphoram* nimirũ vt *Cascum cascam* ducere nõ mirabile est. sic nec nouantibus noua placere. similes habent labra lactucas. Camphoram hanc nec Galenus, nec Dioscorides, nec illius æui scriptores nouerunt: recentiores postea Arabes, Serapion & Auicẽna descripsêre. Videte mihi, quos isti in sacrâ scripturâ explicanda sequantur duces, & quomodo Hebræa nomina

D. Amb. ser. 3. in psal. 118 ceteri in Cantic. Cant. 2.

in Midras Scir Hasirim, apud Galatin. li. 6 de Arcan. c. 3.

Hom. 1. in Cant.

Vide Adag. Cascus cascã ducit

vide Matthiol. li. 1. in Dioscor. c. 71.

cum

cum Arabicis confundant. Sed quid prodeſt erronibus huc dilabi? Caphoram inquiunt, arborem aromaticam eſſe, inſtar vitis racemiferam, locorum calentium amantẽ, in frigidis botros nõ matureſcere: & propterea hîc addi nomen loci frigidi עין-גדי *Haingeddi*, tardiores enim illic propter frigoris magnitudinem fructus proueniſſe: & huic botro amorem veterũ Hebræorum comparari. Sit ita, vt fingunt miſeri tenebriones. demus hoc illorum pertinaciæ. *Hengeddi* locum eſſe frigidiorem; quem tamen ſcriptores antiqui docent non vini tantùm generoſi, ſed & olei, & palmarum, & balſami feracem fuiſſe. demus etiam Caphuram, non Indicam tantùm, ſed Iudaicam quoq. arborem fuiſſe; quod vbi legerunt? certè nõ apud Arabes illos. demus caritatem veteris Synagogæ per eã ſignificari. Fuit igitur amor & caritas veterum Iudæorum legis tempore, immaturus ille, & hæc inodora, nondũ ſolis radiis ſatis apricata; taliſq. manſit vſq. in hodiernũ diem lætæ ANNVNCIATIONIS. hodie cępit incarnatione CHRISTI incaleſcere; qui tandem cum linguis igneis miſſo Spiritus ſancti ardore, quas venerat accendere flammas in cordibus accendit, & Apoſtolicæ Caphuræ racemum ad debitam maturitatem perduxit, vt fieret toti mundo in odorem ſalutaris ſuauitatis. Addũt Arabes liquorem Caphuræ variis oculorũ morbis mederi; (hoc verum eſt) & arboris magnitudinem tantam eſſe, vt hominum ſub eius vmbrâ centuriæ recondi poſſint. hoc an verum ſit, non habeo affirmare. ſed qualecumque ſit. Cedo, nónne idcirco cæci permanent miſeri, quia veræ ſucum Caphuræ, CHRISTI lauacrum repudiant? nónne ideo manent diſperſi, & vbique dirâ ſeruitute preſſi, quia ſub

ſed & illa myſterio noſtro ſubſeruit, ipſos neeat.

Origen. & Theodoret. in Cant.

maximè patulam CRVCIS vmbram, ſub VITIS noſtræ nemoroſiſſimas frondes renuunt ſuccedere? Sinamus illos, *non mutat Aethyops pellem aut pardus varietates ſuas.* Accurramus nos potiùs ad vineas Engaddi, tutiſſimum totius generis humani vmbraculum; ſub pampinis ac foliis earum, quem diligit anima noſtra, quæramus, *ibi iacet, ibi cubat in meridie.* De *Engaddi* quoque obmurmurant, ſed cæcum & diſſonum eſt quicquid promunt. diſſonum in ore, & in mente illorum, tenebricoſum: nobis hîc etiam mira lux & harmonia. Quidam ab עין *Ain* & גד *Gad* deducunt, alij à גדד *Gadad*, nonnulli à גדי. quid ſi omnes comprehendam, & cunctis diuortiis me vnum obiiciam? Primi illi in triuium quoddam rurſus diſſecantur. quidam *Gad* coriandrum exponunt: nos ſimile coriandri grano Manna nouimus BOTRI noſtri figuram, nonnulli *Gad* malunt fortunam eſſe; illa nobis proſpera, ipſis aduerſa, eo quòd hæc vitis ſit illis *odor mortis in mortem, nobis odor vitæ in vitam.* Sunt qui *Gad*, Iouis ſtellam dicant omne bonum portendentem: ſi hoc illis creditur, cur non potiùs credamus *Gad* non Cretenſis illius nefandi ſidus, ſed veri Dei filium eſſe *Chriſtum*, ſtellam de ſtellâ natum maris, ſidus lætum de læto ſidere, ſidera duo procellas tempeſtateſque mundi tranquillantia? Secundum illud *Gadad*, agmen ducere, vel exercitu ſuperare ſignificat. CHRISTVS agminis electi ductor hoſtes priùs inuictos ſuperauit, & MARIA hæreſes hactenus omnes calcauit, & ô quando ſalutaris poteſtas quæ nunc ſucceſſu vario ſuperbiunt pariter conculcabis! Denique tertium illud, ab *Ain Gedi* deriuari, multos Patrum habet aſſenſores, qui rectiſſimè *fontem hædi* explicarunt. age, nónne

ſecundũ omnes Analogias adaptamus

Ierem. 13. d. 23

Cant. 1. b. 6.

Exo. 16. d. 14. Num. 11 b. 7.

2. Cor. 2 d. 16.

D. Gre. D Bern. & alios in Cant.

ne hæc *vinea* in *Engeddi* facta est nobis, cùm DEIPARA *Fons* sit *Hædi* concipiens hodie, & nono mox mense pariens eum qui pro genere humano succedanea factus hostia coronæ spineæ & cornuum crucis vepribus inhærens mundi pretium pependit? qui peccatores venit redimere, iniquos iustificare, hædos in agnos commutare. In promptu hæc causa, cur Iudæi, cur hæretici maneant hædi, cum hædis ad læuam terribili illo Domini die statuendi: quia fontem hunc inhonorant; quia vitis huius genimina non sitiunt, non bibunt; quia sanguinem illum BOTRI CYprij, in Sacramentis Ecclesiæ Catholicæ propinatum fastidiunt & prophanant. Nullus hîc talis, gaudeo: nullus hîc tam infeliciter inuinius, bene est. gratulor vobis (SODALES). nostræ vineæ fauorem, nostræ vitis donum agnosco. illis gratiæ agendę; illis gloria tribuenda. tantùm, si salui esse volumus; in hac VINEA maneamus oportet: huic VITI nos ampliùs & ampliùs debemus inserere, artiùs atque artiùs nos ad illam deuincire. Sic adimplebitur in nobis illud de Deo dilectis & electis omnibus dictum; *Ligans ad vineam* (MARIAM) *pullum suum, & ad vitem* (IESVM) *asinam suam*: intellectum scilicet & volũtatem, animum corpusq. suum: quod qui nostrûm sedulò præstiterit, continget ei quod subditur; *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum*. ab omni inquinamento mundus, mundatus, dealbatus in cælestem mansionem Dei filius à constitutione mundi præparatam poterit introire. Sed quo pacto, aut quibus vinculis nos huic VITI alligabimus? non possumus citiùs nec firmiùs, quàm eius similitudine & imitatione. Diffusiùs hoc supererat differendum. longiùs autem opi-

Gene. c. 22. c. 12. Euseb. Emiss. ho. 2. de Pasch. at.

Gen. 49. b. 11.

nione meâ progressa fuit oratio. nolo patientiâ vestrâ (SODALES) vlteriùs abuti. fors fuerit alio die commodior occasio secundæ istius mensæ. nunc repono, & sermonem abrumpo. finis nulla foret hanc vineam laudandi. satietas nulla commemorationi tam bonæ rei posset obrepere. tunc animum maximè iucunditas sollicitaret, quando putaretur expleſſe. plura sponte verba profluerent, plura sese offerrent dicenda, quando dicendi vena videretur exaruisse. DIXI.

Dicta Louanij, M. D. LXXXXV.

VI.

IN FESTO VISITATIONIS.

PROPOSITVM.

Considerauit agrum & emit eum, de fructu manuum suarum plantauit vineam. PROVERB. 31. v. 16.

Sodalitas ostenditur esse vinea MARIANA, *singuli Sodales singulæ vites, & singuli agricolæ.*

HODIE CHRISTVS DOMINVS nondum natus, & eius benedicta genitrix sacri ponderis, non ponderis, sed leuaminis potiùs baiula, carissima sibi capita, dilectam Deo vineam in montanis Iuda plantatam; ternionem illum rarissimum atque præstantissimum, *Zachariam*, *Elizabeth*, & adhuc veteri clausum seris *Ioannem* visitarunt. Non ambigo quin & hanc suam vineam Regina cælorum læta hodierno die visitarit, & multis gratiæ donis intercess-

terceſſione ſuâ impetratis cumularit, largamque huic familię, vobis (SODALES optimi, & qui adeſtis alij viri ornatiſſimi) benedictionum copiam ſit impertita. Nã & hîc cerno montana cõſpicuæ & ardentis deuotionis: & mõtes iſti mõtes ſunt Iudâ laudationis diuinæ & ritè peractæ confeſſionis. Hanc domum incolit *Ioannes*; cùm diuinæ, quod ſpero, gratiæ participes ſitis. hanc domũ inhabitat *Elizabeth*, ſeptenarius ille donorũ Spiritus ſancti. hanc familiam regit *Zacharias*, cõtinuam animo fouens & recolens beneficiorum & præſentiæ Dei memoriam. Quàm grata IESV & iucunda hæc MARIÆ familia? quàm dilectus & delectus hic *ager*, quem *conſiderauit & emit*! quàm dulcis & amica cæleſti vinitori hæc vinea, quam mater eius plantauit! Salue vinea felix, lætare vinea beata: non tantùm fortunata, quòd *vinea facta ſis dilecto in cornu filio olei*; quòd plantata in pingui Eccleſiæ ſolo; quòd *vinea facta* CHRISTO verè *Pacifico, in eâ quæ habet populos*, per totum orbem nomine & re CATHOLICA; quòd ſacri Chriſmatis oleo ſis delibuta; quòd nõ brutorum, ſed Filij Dei ſanguine rigata: ſed magis etiam fortunata, quoniam peculiari quodam præterea iure atque ſeruitio data in poſſeſſionem atque funiculum Reginæ fueris cælorum. *recepit in ſua*, creuit, agnouit, adiuit hanc hæreditatem, *tradidit eam cuſtodibus*, vobiſmetipſis. Vos enim, ne ſingulos vniuerſæ vineæ curandæ ſolido grauaret onere, ſuę quemque viti præfecit, vnius vnumquemque palmitis vinitorem eſſe iuſſit: ſibi nihilominus iugiter tuendæ, fouendæ, & aptis viſitandæ temporibus vineæ pontificium reſeruauit.

vinea beata felix, ob multas causas.

Iſai. 5. v. 1. Cantic. vlt. v. 11

Hunc palmitem nullus longè remotum putet.

——— *non vos quæs' veritis extrà.*

te intra temetipsum quærito. *bibe aquam de cisternâ tuâ, & fluenta putei tui. Vinea tua coram te est.* Prou. 5. v. 15. Cant. 8. v. 12. pro puteo & cisternâ, duos intra te palmites habes, ô homo. Vis scire, quos? Philo Iudæus Hebræorum sui temporis Græcâ facundiâ disertissimus, & Græcorum, qui non Christiani sapientissimus scriptis tradidit Deum mũdi opificem in homine quasdam arbores plantasse. in corpore quidem sensuum scrobes fodisse, quarum vnicuique mitem vnam frugiferamque arborem indidit; auditum in auribus, visum in oculis, odoratum in naribus, reliquos sensus in suis quemque partibus conuenientissimè: præterea toto diffusas vires ac facultates corpore, in brachiis, manibus, cruribus, tibiis, reliquis tum externis tum internis membris, nihil esse quàm plantulas quasdam generosas. In animâ, quia dignius solum meliores poscebat plantas, multo excellentiores inseuisse, memoriam, voluntatem, intellectum, præstantissimos perfectissimosque fructus allaturas; nempe dispositiones, habitusq. virtutum; species & notiones multifarias artium & scientiarum; meditationis, contemplationis & multiplicis sanctimoniæ ornamenta. Sic in animam Deum, vt in spiritualem paradisum hæc omnia congessisse, ac locum accomodatissimum ad solis ortum elegisse, quẽ Edem, hoc est delicias, nominauit. Quoniam animus veræ sapientię cernens ortum, & ab insipientiæ tenebris liber, cum Gratiis & Virtutibus choreas agens & prę veri gaudij magnitudine exultans; & corporis delicias falsas, quas vulgus amat, fastidiens & conculcans, totus in Deo suo solidam voluptatem suam repositam nouit. Optimo iure talem animum *Edem* Philo nuncupauit. quid enim illo felicius? quid fortunatius? imò Pſal. 93. v. 9. libr. de plantat. Noë.

quid

quid aliud ſub ſole felix ac fortunatum? Accedit quòd non tantùm huius animæ Deus ſit deliciæ, ſed hac in animâ Deus ipſe delicietur. *deliciæ*, profitetur, *meæ eſſe cum filiis hominum.* deliciæ Dei non ſunt tantùm verſari cum beatis illis mentibus, à quibus ſemper adſiſtentibus & miniſtrantibus aſſiduè collaudatur: ſed etiam delicias ſuas reputat ludere cum infantulis & cum puſillis ſuis. Non ſola ipſi placet, non vna Deum capit Regia domus in monte Sion, ſed delectat interdum domus ſaltus; quam in perituri mundi Libano conſtruxit; cuius vniuerſa ſupellex de auro puriſſimo. quia quicquid in hoc horto condidit, totum illud *vidit quòd eſſet valde bonum:* Domus illa ſaltus legitur frequens Salomonis manſio fuiſſe; nec credendus minùs frequenter verus Salomon cum matre ſuâ piorum animas inuiſere, & delicias ſuas quærere. Edemij horti plantæ omnes Deo ſunt amabiles: ſed deliciarum & amorum nomen præcipuè competit illis, quarum proprium eſt lętitiam dare. Cedo, cui arbori alteri ſacræ litteræ tribuant *Deum* poſſe *lætificare*, niſi viti? illius iſta laus peculiaris; vt & alia: quòd ſe Dei filius vitem veram profiteatur: cumque humanæ naturæ ratione Chriſtus ſit vitis, factum, vt vno Patres ferè omnes ore nos quoque vineas & vites eſſe, & harum ſimilitudine ac nomine in diuinis litteris ſcripſerint ſignificari. Hoc ex Græcis Origenes, Diuique Baſilius & Chryſoſtomus: hoc ex Latinis Sancti Ambroſius, Maximus & Bernardus aſſeruerunt. Suffecerit duorum dicta commemorare. Primus fortaſſis Origenes in vineis varia tempora perpẽdit, & ætates quaſi quinque. Vnum tempus, quando principium fructus demõſtrant; aliud, quando florent quæ fuêre demonſtrata;

Prou. 8. v. 31.

3. Reg 7 in princ. & 10. v. 21.

Geneſ 1. v. vlt.

Iudic. 9. v. 13.

Ioan. 15. v. 1.

Orig. in Mat. tra. 19 Baſil. Hexa. Chryſ. in ep. ad Philip. hom. 6. Amb. li. 9. in Lu. & Hex. li. 3, c. 12 Max. ſer. de 8 Cyptia. ætr. ſer. 60. in Cant.

Vitis laudes quadã præ cæteris arboribus

Homo cur viti, & quomodo ſimilis,

ætatum diſtinctione:

aliud,quando vuæ intumeſcentes virent & acerbeſcunt; aliud quando colore & ſapore nonnihil immutantur; aliud denique quãdo percoctis iam botris vocat vindemia. Sic nobis primum vitæ tempus infantiam eſſe, tuncque vitem nihil foris oſtendere, in ſe dumtaxat vitalem vim continere. Mox pueritiam ſuccedere, quę ſit quaſi vitis gemmatio, cùm incipiunt paruuli matrem & patrem vocare & verba balbutire. Pòſt cùm vſus rationis exſerere ſe cœperit, florere vineam occipere, & indicia botrionum præbere ſpirantia virtutum futurarum odorem. Interea leuitas & malitia mox tranſitura, quæ iuuenili accidit ætati botrum tumidat, & acerbitatem adferens guſtui comedentis dentes facit obſtupeſcere: prudentia tamen virilis ætatis ſuccedens maturitate ſuâ & ſplendore mitigat venuſtatq. iuuentæ virorem, & ad calles virtutum vitioſas eius ſemitas perducit, ita vt botrus nondum maturus non ſapore minùs quàm colore varietur. Tandem (quod ſolet ætas plena conſilij; defecata paſſionibus ſenectus) ſole Iuſtitiæ & ſolidarum virtutum ardẽti affectu excocti & plenè maturi vinacei, nõ iam colore, non odore tantùm, ſed inſuper fructu dulciſſimo ad vindemiam herum inuitant, & variarum virtutum copioſum auctumnum profundunt. Cunctis his vinitor ætatibus vineam conſueuit viſere, ſæpiùs tamen ac diligentiùs quãdo nouit fructuum legendorum tempus inſtare. Iampridem fortis illa materfamilias hanc *vineam plantauit.* Iampridem (SODALES) *vineæ veſtræ florentes dederunt odorem ſuum. flores* frequentes *in terrâ veſtrâ apparuerunt.* Nunc VISITATIONIS ſuæ die fructum poſtulant vineæ patrona MARIA, & vineæ ſupremus Dominus IESVS; ſi fructum non inuenerit, falce

Ierem. 31. v. 29

Pro. 31. v. 16.

Cant. 2. v. 13. & v. 12.

falce vineam succisurus. D. Ambrosius multas rationes protulit, cur vitis sit humanæ typus naturæ. Viua primùm vitis radix defigitur: anima fidei radice plantatur. vitis maritatur arboribus: ita corpus animæ, anima corpori quoque coniugatur. Vitis dum iugatur, erigitur, & recisa non minuitur, sed augetur: ita sancta plebs dum ligatur, exuitur; dum humiliatur, attollitur; dum recidi-
tur, coronatur. vitis surculus veteri abscissus ab arbore, in alterius fætu radicis inseritur: sic animæ ligni noxialis cicatricibus enodatis, in nouo crucis ligno tanquam piæ parentis gremio fouentur & conquiescunt. Hanc vineam diligens agricola Deus fodere, rigare, tondêre consueuit, eruderatisque terrenæ molis aggeribus operta corporis nostri nunc sole torrere, nunc imbre perfundere, nunc stirpare agrum; ne à sentibus gemma lædatur, ne luxuriet vmbra foliorum, verborumque infructuosa iactantia virtutibus obumbrãdo maturitatẽ indolis naturalis impediat. Hæc D. Ambrosius variis discreta locis sed in vnam conspirantia sententiam, vt proponat nobis cælestem agriculturam: quam qui in suo vineto studet exprimere, solus ille boni nomen agricolæ meretur.

& cultura.

Isai. 51. v. 2. *Attendite* igitur *ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Abraham in plerisque Dei Patris, Sara in non paucis B. virginis MARIÆ figura fuit. Quare cùm eos imitari iubemur, cultoris & custodis vineæ iubemur artes imitari, atque ita viri boni perfectum officium à nobis exigitur.

magna multa hæc,

ptinelp. lib. de re rustic. M. Cato refert veteres, quem ad amussim virum bonum dicere volebant, eũ bonum agricolam solitos appellare, ratos abundè laudatum à se, quem sic laudassent. Vitis autem inter omnes plantas vt fructus bonitate ac copiâ præstat: sic etiam di-

ligentiorem & magis assiduam curam requirit. Non sufficit in vbere solo locari, non sufficit macerià & sepimentis vallari, non sufficit turribus & torcularibus decorari; quæ cuncta Deus illi suæ dilectæ Isacidum vineæ fuerat elargitus. Non sat est vinetis animarum nostrarum in opimo & fertili Ecclesiæ fundo inserta esse: non sat est fuisse rigata innumerabilium Martyrũ & Christi Domini sanguine pretioso & contra diuitias omnes caro: non sat est angelicæ custodiæ macerià & tot exhortationum quasi sepibus virentibus circumcingi: non sat est ablectos & abiectos lapides fuisse noxios, & malæ conuersationis pristinæ tot impedimẽta: non sat est ex edito turrium Ecclesię sedulos antistites & speculatores argutis omnia obtutibus lustrare: non sat est validissimum illud altaris torcular, in quo sacrificium incruẽtum quotidie offertur, nobis adminiculari. Fuere hęc olim Asiæ, fuere huiuscemodi Africæ, fuere Græciæ & Europæ toti talia præsidia. Vbi verò nunc vel vmbra vineæ electæ tot tam vastis regionibus? direpta, prophanata, excisa sunt ista vineta, denique non sunt, sed fuerunt. Non abibo longiùs. Trans mare nunc Britannias sæua pariter & salax hyæna, bipedibus satur lupis (nam quadrupedes negant ferre tellurem) ebria sanguine sanctorum, penitus fermè vitigineo surculo viduauit. Germaniam inclytam (sed olim) fide, florentem pietate, locustarum apocalypticarum examina, hæretici buccinatores pergunt depopulari. Aureorum vineam liliorum, Christianissimorum quondam Regum sceptris felicem, impietas singularis ille ferus, aper fulmineus (proh dolor) partim vi, partim dolo videtur exterminaturus. Quæ tãta tantis nationibus cladis causa? vi- Isai. 5. v. 4.

neæ

neæ ſuæ culturam & cuſtodiam neglexerunt.

Vos ergo *attendite ad Abraham patrem veſtrum,* ad Deum optimum vinitorem: & attendite *ad Saram quæ peperit vos,* ad cæli terræq. principem, veri Iſaac, veræ lętitiæ ac ſinceri riſus genitricem, ad Sodalitatis huius in Domino gaudentis matrem. imitamini hanc vineæ ſuæ vigilantiſſimam cuſtodem. Etenim pauca poſtulantur à nobis, duo tantùm, quæ ſine graui dedecore, ſine ſummo & crimine & damno prætermittere nequeamus: prius, vt vineam noſtram excolamus; poſterius, vt eandem eiuſq. fructus cuſtodiamus. Sollicitudo hæc in radice, ramis, trunco, foliis, flore & botris verſatur. Radix, hinc enim ordiendum; quaſi elementum eſt arboris. quia cùm à radicibus alimẽtum omne tranſmittatur & diſpenſetur, vt elementorum mixta, ſic radicum cõditionem ſequi plantas neceſſe eſt. Radix veſtra (SODALES) vt altare Moſis, fundata eſt ad ima montium; cunctorum quidem radix ad pedem Eccleſiæ Catholicæ, quæ *mons eſt in vertice montium*: præterea radix omnium fundata eſt ad pedẽ Sodalitatis Partheniæ; quæ Sodalitas ex priore illo monte quaſi collis quidam aſſurgit, euehitq. ad maiorem vulgari perfectionem. multorum etiam radix vlteriùs ſe penetrauit proſerpẽdo, & vltra hunc quoque collem altius aliud cacumen inuenit ſupra colliculum celſiorem inſtar turris & propugnaculi eminentem, religioſum inſtitutum intelligo. ad trium iſtorum ima montium vites hę radicem iecêre; quæ, vt innuebam, *fides* eſt. cogitet nunc vnuſquiſque, an *ſicut lignum quod plantatur à Domino iuxta aquas, & ad humorem mittit radices ſuas*; ſic ipſe radicis ſuæ ſiticuloſas fibras, ad humorem diuinæ gratiæ in Eccleſiæ Catholicæ vnitate hauriendum

Seduſò curanda.

in radice.

Theophraſt. lib. 2. de cauſis plant. c. 19.

Exo. 23. v. 4.

Iſai. 2. v. 2.

Ierem. 12. v. 2.

Iſai. 5. 4.

riendum augendumque extenderit. Talis certè iustorum est radix, talis proficiet, talis non commouebitur. Cogitet inquam an non magis *radix eius sursum germinet fel & amaritudinẽ* vanarum opinionum, *& per illas inquinentur multi*. Talem radicem clamat Amos à Domino conterendam. talem pronunciat Isaias *in fame interituram*. Id ne nobis accidat, cordis nostri solum sedulò expurgandum, exstirpandum, elapidandum: radiculæ omnes à cunctis dubitationibus & hæsitationibus circa res fidei sunt excodicandę, scripta non sinceræ fidei per censores expurganda, libri vetiti ad eosdem deferendi vel flammis tradendi, ex ipsis quoque penetralibus animi euellenda radicitus latentia quædam infidelitatis aut atheismi semina, quæ licentiosis sæpe ac maleferiatis epistolis & dictis, de bellorum istorum hominum, quos Politicos vocant, adytis petitis sese produnt, & incautis erumpunt, quia pleni sunt, & incautos qui simpliciores minusque sunt firmi sauciant labectantque. Quocirca etiam exiguus quidam alueus circumcirca radices aperiendus, vt *Solis iustitiæ* teporibus & *diuinæ gratiæ* irrorationibus facilè & hubertim radices propagentur; quæ vt sint firmiores, profundiùs demittendæ sunt. quomodo, nisi per altam *humilitatem*? vt fertiliores autem fiant, stercorandæ. quis iste fimus fœcundans, nisi susceptio sanæ doctrinæ, quæ *sui cognitionem & propriæ deiectionem* adducit? Fodienda insuper & ablaqueanda radicositas, ne vitis stirpescat: si quid mucositatis adhæserit, id abradendum. videlicet per integram & perfectam *cõfessionem* virus animæ totius ore medullitus euomendum, & *fontibus lacrymarum* eluendum. Tum per *Sacramentorum* filanos atque fistulas susceptо sufficienti

Ierem. 12. Pro. 12. v. 3. Deu. 29 v. 18. Hebr. 12. v. 15. Amos 1. v. 9. e. 14. v. 19.

cienti almificæ *gratiæ ſuco*, tellus vndiquaque, ne quid inæquale remaneat aut durum, occanda; & æquato comminutoque *puluere noſtrorum* deſideriorum, radix rurſus diligenter aperienda. *Cõfeßione* fit ablaqueatio peccatorum: *eorumdem* poſt peractam pœnitentiam *obliuio*, futura eſt occatio maximè oportuna. Vtiliſſimum namque fuerit hanc obliuionis glebã iniicere, ne veterum culparum imagines ad eaſdem labendi reuocent occaſiones. Singuli vitem veſtrã paſtinaſtis, ablaqueaſtis, occaſtis? probam vtique in radice curam poſuiſtis. Spes bona de cetero. Nondum id factum à vobis? agite tandem, vel nunc incipite. nullum tempus ſerum ad frugem meliorem.

Radici curatio ligni ſuccedit, in trunco & in ramis, quiſque cum animo ſuo perpendat, an *lignum* ipſe ſit *humidũ* & *viride* virtute roboreque, an aridum & putridum improbitate nequitiaq; cogitet improbus; *Si in viridi ligno hæc fiunt, in aridõ quid erit?* Si in præſenti vitã tam duriter iuſti affliguntur, heu! quãto improbi in futurã cruciabuntur acerbiùs? cogitet iuſtus & timoratus; Si nunc impij tot bonis abundant, vt leuium quorumdam officiorum & vitati cuiuſpiam criminis mercede non careant: quantum, vah! felicitatis aceruum & qualem Deus iudex iuſtiſſimus remuneratorque liberaliſſimus iis repoſuit atque congeſſit, qui culpis ſeſe omnibus abſtinere, & Deo per omnia nituntur obſequi? Truncus iſte *Spei* fouendus, ne contabeſcat; enodandus & ſurſum adducendus, ne flexuoſus fiat & intortus; ſarriendus etiam, ne muceſcat; ridicis & pedamẽtis alligandus, iugandus, fulciendus, ne deorſum lapſus per ſolum ſerpat, & humore cõputreſcat. Validus truncus ſymbolum eſt *Spei* noſtræ: hanc

in trunco.

Luc. 23. v. 31.

bona

bona conſcientia fouet, ſarrit *vitæ* diligens *examen*, ſurſum adducit *meditatio*, *diuinis promiſſionibus* iugatur, *Dei miſericordiâ* & *clementiâ* fulcitur. Indidit ei Deus auctor naturæ tantum viuacitatis, vt etiamſi ſenuerit radix, & in puluere ramus ſit emortuus, *germinet & comam faciat; quaſi cùm lignum primùm plantatum eſt.* Sic redivivam vitem Noë ceſſantibus eluuionis vndis fructificantem inuênit. Singularis iſta huius plantæ prærogatiua D. Ambroſio laudata legitur, quòd corruptæ frigidis humoribus radices, ſi vernus eas poſtea calor afflauerit, iterum repullulent ac viuificentur. Eadem nos ſpes manet cùm in puluere dormiemus; eadem nos ſolatur cũ emori alios videmus. Iob 14. b. 7. & 8. libr. de Noë & Arcâ, c. 19. & li. 3. Hexa. c. vlt.

in ramis Ramos truncus quaſi brachia diffundit. luxuriare hi ſolent, & continuâ debent putatione macerari. lata, curua, malè nata ſarmenta iugi curâ ſunt præcidenda. Quippe vitis (ait Theophraſtus) quæ ritè putatur, melius germen & fructum adfert, viuereque diutiùs poteſt. Multarum par conditio eſt arborũ. ſicut putatio viti, ſic etiam ficui diſciſſio, ſic amygdalis ictus paxillo adactus, vel deminutio auxiliatur. quoniam humore ſuperfluo defluente, reliquus coqui & dulceſcere commodiùs poteſt. Animæ rami ſunt *paſſiones* & *affectus* quotidie repullulantes: ideo quotidie reſecandi falculis *pœnitentiæ* & *mortificationis*. Quod quia ſolemus nimis quàm negligenter præſtare, idcirco ſupremus agricola Deus Opt. Max. quo eſt amore in vineam ſuam, genus humanum; nos quidem nunc Belgas tot afflictionibus ſalutariter premit exercetque. Norat hanc medicinam eiuſque efficacitatem D. Baſilius, quando in hanc ſententiam prudentiſſimè commentabatur: quemadmodum qui vineam putant, aſtringunt eius vires & in- lib. 3. de cauſis plant. c. 19. Theophr. li. 2. de cauſ. plant. c. 20. in c. 5. Iſai.

„ & internè continent, vt maiore cum tẽperamen-
„ to ad proferendos vtiles fructus procedat. Ad
„ eumdem modum contingit animæ assiduitate
„ propendenti & incuruatæ. quodammodo in se
„ contrahitur, & se vtiliter demittit atq. humiliat,
„ & ad sui diligentiorem custodiam retrahitur; in
„ rebus agendis id eligens, quod necessarium sibi
„ censet, & vsui futurum. E diuerso anima, quæ in-
„ dulgenter ac remissè viuere sinitur, perinde atque
„ vinea quæpiam neglecta eluxuriat & silvescit far-
„ mentis, seque effundens circa incommoda nec
„ vllam adferentia frugem, natiuo suco exhauri-
„ tur. Ita Diuus ille magnus, satis indicans, quàm
hæc animę putatio sit necessaria, & putandi in-
termissionem præcipuam esse & euidentissimam
causam mutationis in deterius vinearum. Quod-
dam genus vitis *capneïum* vocant, cuius ex nigro
racemus sit candidus, & ex candido rursus nigres-
cit. Vtinam, vtinam vitis nostra non toties foret
Capneia! nimium frequenter fuliginosis nescio
quibus fumis ambitionis & libidinis ex lotâ fit
spurca, ex cycnis candidiore fit nigrior coruis, fit
atris barris dignissima. Equidẽ puto nũc omnium
vestrũm vites albas esse sacræ fulloniæ, *confessio-
nis*, beneficio: hortor singulos vt seriò proponatis
vicissitudinem illam Capneiæ vitis deuitare, &
nunquam ampliùs, ne si mors quidem intentare-
tur, niuem puritatis cum peccati atrore commu-
tare. Hoc consequi potestis putatione forti, ani-
mosâ, & assiduâ. non cesset resectio, donec duo
dumtaxat in ramis singulis flagella relinquantur
geminæ *Caritatis*, quibus Deum ac proximum
vlnis beneuolentiæ tenerrimè cõplectamur. Fal-
cis, quâ putatio fiet, materia merum sit ferrum
Constantiæ & virilis roboris, sed hirci tinctum san-
guine.

Theophr. lib. 4. de hist. plãtarum.

guine. Scriptores agrariæ rei ferunt, si dum vites à sarmentis repurgantur, falx putatoria hirci sanguine oblinatur, affricata priùs corio castoris; nec gemmas teneras ab erucis erodi, nec nata folia malis à vermiculis inuolui posse. Nō aliter si falx nostra fuerit imbuta *cruoris* CHRISTI DOMINI pro nobis effusi recordatione, nullis gēmulæ virtutum dolis vel dentibus infernalium erucarum poterunt absumi. Nec aliter si ad castoris sollertem sagaciam respicientes, externa ista quæ vocitant bona curasque sæculi, quorum pondere præpediti Nemroth illum fortē venatorem animas diræ subiicientem seruituti effugere vix poterimus: sed si à nobis illa procul abiiciamus, nullis diabolicis anguium spiris, nullis insectorum exitialibus cassibus inuolui poterimus, aut irretiri. Contrà videmus & dolemus plerisque contingere, vt cum ponderibus suis malis corruere, quàm illis animosè reiectis salui euadere: vt malint duos habentes oculos, & duobus freti manibus pedibusque sani in gehennam mitti; quàm coclites, aut vnimani, aut claudi cælorum beatas subire māsiones; vt malint per erucas dirissimas & campe teterrima omnem sibi virorem diuinæ gratiæ deperire, quàm leuem aliquam voluntati vim facere, aut exiguum carni suæ dolorem inferre. Prô dementiam Giaris & Tulliano nunquam satis coërcendam! amari sese putant à semetipsis, cùm salutem suam odio plusquam Vatiniano prosequantur. quòd vilissimum sui curant, quòd pretiosissimum negligunt. solus sapit, qui saluti sapit suæ. solus ad salutem sapit, qui vitem suam putat diligenter. Peractâ putatione, racemos canteriis & viminibus vincito. Sic *legum* humanarum diuinarumque *vincula* voco; quarum officium est

Matthiolus in libr. 5. Dioſco. c. 3.

varia-

variarum conditionum *motus & affectiones* vagas & ebullientes *refrenare*; quas cum sic ligauerimus, cogitatio ad pampinos & folia transferenda. Pampinos appello, *cõcupiscibilem* & *irascibilem* facultates; folia verò, partim erraticas illas *cogitationes*, quæ tantopere distrahunt, partim tendentes in bonum quasdam imperfectas *volitiones*, quibus vellemus potiùs quam volumus. vtraque pampinatione & frondatione plurimum egent. folia superflua vel abrumpenda, vel contorquenda. pampini tales, dum adhuc teneri distringendi. vt sic fructus pinguescat, & solis admissu maturitati consulatur. totus alioqui vitis humor eat in frondem. fronde flos optabilior ac melior, quanto fructui vicinior. D Bernardus docet, florescentibus vineis omne reptile venenatum loco cedere, nec vllarenùs odorem florum ferre nouorum. Quid odor iste bonus, nisi *sermo probus* præsentes iuuans, auocans à malo, & ad bonum reuocans audientes? flores nostræ vitis verba sunt & colloquia nostra. ea putent fœtentque scurrilitate? lacrymis elue. exundant garrulitate? siste & silentio exhauri. famæ obstruunt alienæ nec vllum transmittunt illæsum maledicétię rhamnis? euelle & eradica tam malam pestem quàm occultam. plerosque fallit aliàs perspicacissimos communis quædam contagio, loligines aliquid aut sepię atramenti laudatis quibusque actionibus aliorum adspergendi. Dolendum maximopere & miserandum (vt queritur Sollius Sidonius) sordidari virtutum sinceritatem criminatione vitiorum. Humilis quis est? vocatur abiectus. erectus est? censetur superbire. minùs docti ridetur imperitia, doctioris inflatio scientiæ sugillatur. indulgenti facilitas, seuero crudelitas improperatur. prudẽtem

in pampinis & foliis,

in flore,

Ser. 19. in Cant.

Cõcionę quæ extat eius libr. 7. epist.

ſi viderint, vt verſipellem deuitant; ſi ſimplicem experti, vt brutum deſpiciunt. actioſitas ſedulo, placido ſegnities, religioſo ſuperſtitio, parco auaritia, liberali prodigalitas impingitur. animoſus contumaciæ, blandus adulationis, verecundus ruſticitatis cõdemnatur. Sic ſemper bonorum mores atque virtutis effreni maledicorum linguâ velut bifurcatis hamis inuncantur. Putãda, circumcidenda, vel exſcindenda potiùs immanis iſta licentia. Si nihil horum ſibi quis conſcius: certè inueniat ocioſa multa, quibus *ſilentij* falculas admouere, vel leui ſaltè manu illa diffringere oporteat: ne florenti vineæ peſtis immineat irroratio fructum defluxu perditura. Quorſum flores ſine fructu? vineæ finis eſt, non frondes, non pampini, non flores; ſed botrus, ſed vindemia, ſed torcularium expreſſio. Philo prudenter admonuit, hoc ſolum bonum agricolam debere ſibi proponere, hoc vnum agere, vt nec cultura viti deſit, nec vitis culturam fallat. ſi fructu defecta vitis fuerit tua, meritò ingemiſcas, meritò mærore contabeſcas cum Iſaiâ; quod *infirmata eſt vitis, & in gemuerunt omnes qui lætabãtur corde.* Fructus vitis, *bona* ſunt *opera.* præclarè multa de virtute diſſerere, & virtuti conſentaneum nihil operari; laudare caſtitatem, & inſtar equi adhinnire feminis; commendare ſobrietatem, & heſterno vel hodierno mero fœtere; prædicare conſtantiam, & quauis aurâ circumgitari, Curios ſimulare, & viuere Bacchanalia; florere eſt, & non fructificare. Hîc callidus ille ſerpens, verſutus noſter aduerſarius, potiſſimùm nos nititur ſupplantare, calcaneo iugiter inſidiatur, ſcit finem coronari, cachinnatur noſq. ſubſannat, cùm pulcrioribus cœptis exitus non reſpondet.

lib. 1. de agricul.

in fructu. c. 34. v. 9

— cùm

Horat. de arte poët.

—— cùm turpiter atrum
Desinit in piscem mulier formosa supernè.

hoc accidit cùm vinea nostra floruit, cùm flores odorem dedere, sed fructus non gignuntur, vel acerbi & immaturi gignuntur. Magnum operæ precium duco causas mali pădere vt euiteris. non dissimiles sunt morbis vinearum. Post Theophrastum ceteri tradidere vitis morbos omnes, vel ab aëris iniuriâ, vel à soli infæcunditate, vel à vinitoris culpâ prouenire. Quare quod à culturæ negligentiâ aut imperitiâ damnum naſcitur, hoc propriè conuenit agricolam luere; de ceteris videtur vt plurimum immunis habendus: cùm nec vim maiorem siderationis prohibere, nec articulationem, nec radicationem, nec quæ de terræ manat vitio tabem valeat impedire. Verùm enimverò vinitori animarum omnis vineæ spiritualis morbus iure imputatur: cùm enim vinitori subsit appetitus eius, & huic cum diuinâ gratiâ per arbitrij libertatem queat dominari, pronum est ac facile solum vineæ corrigere: cumque Deus pro suâ singulari liberalitate cuiuis volenti ac petenti sit in æstu refrigerium, & contra frigus horridum focus genialis, & contra hostiles omnes impetus scutum inexpugnabile, tutissimumque tabernaculum; fit, vt ab extrinseco vis nulla maior sit animæ Deo gratæ metuenda. Reliquum est vt à seipso dumtaxat homo lædatur, omneque malum tuum (quod quidem verè malum, quia cum culpâ coniunctum) omnis perditio tua sit ex te Israel. Vt plantas aëris intemperies æstu vel algore nimio; sic vitem alicuius superbia pestifero afflatu siderauit? iure id patitur. cur non ex agricolandi disciplinâ nardum aquæ pedum asini permiscuit, & eâ vitem inunxit? homo iumentum

Theophr. lib. 4. de histor. plant. Plin. Pal. lad. alij.

Plin. lib. 28. c. 16

est Dei, nardus *humilitas*, vrina *vilitas* nostra. cur non vilitatis suæ conscientiam humilitate conditam animo ægroto, vt cataplasma, superposuit?

Radicatio. *inuidia.*

Radicationis tabe conficitur alius, exaruit radix & emarcuit? apparet liuidum virus *inuidiæ* non satis eum tempestiuè ex animi penetralibus expulisse. sic pedetentim factum, vt opimis aliorum rebus macresceret.

Articulatio, *acedia.*

Est qui articulatione laboret, & singulis artubus, hoc est, facultatibus animæ, malum adhæsit? eius id deputandum *acediæ*, quòd non quàtum par fuit sollicitus serò principiis occurrerit.

Vermiculatio, *gulæ.*

Vermiculatione destructa fuit vitis alicuius? cur cùm verminare se sentiebat, hoc est, *gulæ* vitio paullatim depasci, non statim noxam, dulcia poculorum & ciborum irritamenta subtraxit; & acrem scyllæ bulbum atque absinthij folia, hoc est, asperitatem abstinentiæ & ieiunij,

Roratio *luxuriæ.*

adhibebat? Nihil horum, sed roratio damnum dedit, vt exiles sint acini vel defluxerint vel defloresçens vitis tota derorarit? quid aliud erat exspectandum per *libidines* & lustra, per inconcessas sordes spurcitiarum ruenti, quàm corpus effœtum, anima vieta, & vtraque vitis infructuosa? Floralia veteres lasciuæ Floræ ritu impuro Malo mense ex Sibyllinis libris instituerunt eo fine, vt vites bene defloresçerent. quàto nos æquiùs meliùs flori florum, rosæ cárenti spinis, ætatis ver floridum & vitæ florem in eius vineà florentem dedicamus? Hac iuuante, nobis conantibus, nullus morborum quos diximus vineæ nostræ pertimescendus; vt nec reliquæ pestes vinearum duæ,

Plin. lib. 18. c. 19.

Carbũculus, *ira.*

carbunculus & araneus. Carbunculare dicuntur vites, quando furentis caniculæ ardoribus, quasi quodam vredinis carbone flores exuruntur. sic decretorium animę sidus est *ira*, breuis sed efficax

furor;

furor, quem qui naſcẽtem frenis & cathenis non compeſcuit, illi poſtmodum adultus imperat, & quò vult cunque rapit ac pertrahit. Araneam vocant, cùm prægnates erucæ, velut telæ, vitis fructum inuoluunt, abſcõdunt & abſumunt. Nónne pari ratione, illorum, qui de Menippi ſcholâ φιλαργυρίᾳ laborantes, publicis priuata, & terrena cæleſtibus præponũt; caſſium inſtar *auaritia* mentem impedit & paullatim omnem miſericordiæ affectum exſugit, vt in egenos nullus caritatis vel liberalitatis liquor queat effundi? Septem iſti ſunt morbi tam terrenæ quàm ſpiritualis vineæ. poſſunt omnes ſedulâ curâ vineti repelli & arceri, poſſunt cum Dei auxilio ſanari & expelli. Neque tamen hoc ſuffecerit, niſi diligenter culta & cuſtodita vinea, fructus proferat ſuaues ac maturos. Tres enim comperio claſſes hominum, quarum vna tantùm in futuro viſitationis vineæ die ſecura ſit & innoxia futura. Sedeat quiſque & calculum ſubducat, ſeque diſcutiat ſeuere, cuinam claſſi ſit annumerandus. Primam illorum ſtatuo, qui contenti carere his morbis & à capitalibus ſeſe vitiis abſtinere; Neminem (aiunt) vulnero, neco nullum, nullius pudicitiam violo, neminem odi, fraude nullum circumuenio: quid vrges? quid ampliùs me flagitas? cur ſuperindictis premis? Nõ vtique damno quòd illis vitiis careas: laudi hoc duco, lucro appono: tamen vnum aſſero deeſſe tibi, quia malum fugiſti, ſuperaddas & bonum cõſectari. Ficulneæ Chriſtus maledixit. nõ niſi quia fructum non invenit in eâ, non ſpinas ferebat, ſed ficus non ferebat. Vinitorem te Deus vineæ ſuæ conſtituit: ſat iniurius es ſi vineam negligas. Famulum non ferres manibus aſtãtem complicatis ocioſum: te Deus ferat, ſeruulum nequam inuti-

Aranea, auaritia.

Repulſis hu morbis circa vineã demiſſa ea tria commendo.

Mat. 21. 20.

litur feriantem? famelicus boni fructus adueniet: nónne ipse frustratus, meritò cum Michæâ, quòd non sit *botrus ad comedendum* expostulabit? nónne iubebit iratus fœcundam inseri, & vitem sterilem excindi? Mich. 7. a. 1.

Secunda classis longè deteriorum est, qui fructum gignunt, sed alienum: spinas & labruscas pro botris producunt. Horum vua *fellis vua & botrus amarissimus: fel draconum vinum eorum.* botri tales non sunt botri vineæ cœlestis, sed botri terræ: quorum excisio vltori Angelo in Apocalypsi demandata, his verbis: *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ. quoniam maturæ sunt vuæ eius.* Maturæ, non vt vinum ex eis exprimatur, quod Deum & homines lætificet: sed vt inde calix furoris Domini misceatur: quo tamdiu potamur, & timendum ne ad feces ebibere cogamur. Fugiamus hanc vinitorum classem. huiusmodi vineæ, hyenæ, locustis, singulari fero, monstro illi vario debentur. Isai. 5. a. 3. Apoc. c. 14. d. 18 Ierem. 25. d. 15

Tertia classis est vineæ Sorech, palmitum, *qui dant fructum* suum in tempore suo. Sola hæc tuta, sola laude digna; quæ bonorum operum fructus gignit maturos, & productos, vsque ad vindemiam conseruat illæsos. Isti, cùm iam botros suos vident flauescere; quod periti solent vinitores, crebrò pluuerem excitant *humilitatis*, vt eo contecti folliculi, à solis feruore defendantur, & hac molli, leniq́ue desiccatione melius decoquantur. Sub maturitatis quidem tempus vuæ summâ diligentiâ sunt custodiendæ. Scitum quod pastoritij carminis Princeps cecinit: puerum maturæ vineæ custodem, dum imminet locustis; & capiendis fiscellam texit; insidiis exceptum, & à duabus malis vulpeculis malè delusum; quarum altera Theop. lib. 3. de causis plant. c. 19. Theocr. Eidyll. 1

botros

botros abliguriebat, propior altera clanculùm incauti peram cibariis leuabat. Vtinam ne nullus noſtrùm huic puero ſimilis inueniatur? Sunt in ſubſeſſis vigilantiſſimæ & furaciſſimæ duæ vulpes *incuria* & *vana gloria*. Prior fructum omnem, animæ virtutes matureſcentes, & cuncta media, quibus quaſi gradibus ad beatitudinem tenditur, conſumit, & inediam famemque ſpiritualem nihil opinanti duriſſimam inducit. Poſterior quidquid à priore nõ potuit attingi, & iam in tuto locatum videbatur quicquid rectè geſtum, quidquid promeriti, omne illud corrumpit ac abſumit. Quis Argus has peſtes præuideat? quâ curâ obſeruari? quàm continuis vigiliis præcaueri? quâ contentione & ardore animi poterunt repelli? Hortatur nos Sapiens vt *capiamus vulpes paruulas, quæ vineam demoliuntur*. Multa ſunt quæ nos excitare debeant & impellere. Decor ipſe virtutis, quâ nihil amabilius: dignitas vitis noſtræ, quâ nihil pretioſius. Peſſimi & inconſulti planè ſerui vox foret, *Vineam meam non cuſtodiui*. Tu Gyaris & vnco digniſſime negligas, quam pretio tam caro Deus redemit? Nabuthem intuere. Non illius robur ac firmitudinem regales minæ perculerunt, non affectum præmij magnitudo illecebroſa ſuperauit: cùm aliud non poſſet, flammas alienæ cupiditatis, quæ vineæ minabantur, proprio ſanguine conatus exſtinguere, mori maluit, quàm pati vt vinea in hortum maluarum & ceterorum olerum degeneraret, Temporalem tantùm vineam Nabuth tuebatur. tu deſpicis ſpiritualem, quam tanti tot myriades martyrũ fecerunt, vt potiùs quàm in eâ peccati plantas, vel infidelitatis olera ſererentur, enecari crudeliſſimè millies peroptarint! Tibine vilis & negligenda videtur, quam tanti

Cant. 2. d. 15.

Cant. 1. v. 5.

Rex martyrum Dei filius æstimauit, vt euellendorum sentium quibus præfocabatur causà, in cruce mori sustinuerit, vt sic morte suâ vineam viuificaret? absit, absit à Christianorum pectoribus, à mentibus Catholicorum, à Deiparæ Sodalium cordibus stupor tantus, væcordia tam grauis, adeò periculosa hebetudo. Sedulò annitamur, vt sit in vitibus nostris, D. Bernardi votum, odor vitæ, sapor gratiæ, iucunditas reconciliationis, gustus indulgentiæ, serenatæ suauitas conscientiæ. nulla superfit inimica vitibus hic planta: nulla laurus Bebrycia, litigatrix, & donec vicisse videatur contentiosa: nullus mordax raphanus Satyricæ typus dicacitatis: nulla succi alieni adtrahendi brassica multiuola, symbolum cupiditatis. Illa alia cùm aderunt, & ista tria cùm aberunt, tunc audendum nobis, tunc inuitáda B. Virgo, vt hanc suam vineam visitare dignetur. O quàm fructuosa nobis tunc visitatio futura! Dominus olim sterilem Saram visitauit natus fuit sterili filius Isaac, index & causa risus atque lætitiæ: postea Dominus Annam Elcanę vxorem visitauit, ipsam quoque prolis expertem, mox factum vt sterilis Samuelem & alios pareret plurimos. Denique visitauit Spiritus sanctus intactam viro MARIAM; concepit & peperit Virgo veriorem Isaac, veriorem Samuelem. Hodie visitauit Maria cognatam: & Elizabeth Spiritu sancto impletur, Ioannes adhuc in vtero sanctificatur. Cum illa nos dignabitur visitare, profectò tunc aderit tempus illud optatissimum; quo

Ser. 30. in Cant.

Har vitipoa fatibunt Theophrast. & Plin.

Gen. 21. v. 1.

1. Reg. 2. v. 21.

——— *Vbertas sequitur quacunque propinquat,*
Incessu fecundat iter, comitatáque gressum
Læta per impressas rorat vindemia plantas.

Sidon. in panegyr. Maioriani.

Aderit tunc tempus tot votis concupitum: quo non

non ampliùs errorum caliginoſorum brumalibus nebulis annus Belgicæ noſtræ contegatur; quo non ampliùs niuoſis hæreſeon cumulis obruta, & inueteratis blaſphemiæ cruſtis glaciata pectora rigeſcant: ſed freneticorum flabrorum tellus libera ſcelerato furore, veteres oblita ſpinas, nouos CHRISTÓQVE dignos parturiat botriones. tunc cũctarum diſſenſionum procellæ in nos exundantis Aquilonaris pelagi æſtu, tot annis tam ferociter concitatæ, tandem ſereno diuinæ clementiæ fauonio adflante tranquillabuntur. tunc exulante perfidiâ, fides ſpirabit, caritas conſpirabit, concordia tuta nauigabit: certatim nautica turba læto cum celeuſmâ, quos temerè vaga deſeruerat, Catholicæ fidei portus conſultò repetet: certatim tot exſulum, tot erronum millia litoribus dulcia patriis, blandaque matris Catholicæ poſtibus adfigent oſcula, tot ſe periculis ereptos, tam grauibus abſolutos erroribus, præ lætitiâ teneris ora madentes lacrymis mutuò gratulabuntur. ô quale tunc lignum noſtræ vitis futurum! *lignum vitæ, fructus tuſti, lignum ſuauitatis*: lignum, *quod plantatum iuxta decurſus aquarum dat fructum ſuum in tempore ſuo.* ô quales eius futuri tũc rami! rami *longæui, rami honoris* & gratiæ, rami *magni & pulcherrimi*, rami denique *ſancti, ſanctæ radicis.* ô qualibus frondebit foliis! viridantibus, grandibus, pulcherrimis, nunquam defluentibus, ſed *futuris ad medicinam & ſanitatem gentium.* ô qualem tunc vites noſtræ fructum dabunt! *omnis fructus earum ſanctificabitur, laudabilis Domino*, erunt fructus *primi & puriſſimi* fructus labiorum vinitori glorioſi, & gutturi viſitantis vineam dulciſſimi. *Vir* afferet *pro fructu iſto mille argenteos*, erunt omni pretio fructus pretioſiores. tunc erit

Prou. 3. v. 18
Baruch 5 v 8. & plur.
1. v. 3.
Eccle. 1. v. 15. & c. 24. v. 22. Mar. 4. v. 32.
Dan. 4. v. 18.
Rom 11 v. 16.
Dan. 4. v. 9. Ezechiel. 31. v. 12. Apoc. vlt. v. 2.
Leu. 19 24. Pro 3. 14.
Sap. 3 v 33 Cãt. 2. v. 3.
Cant. 8 d. 11.

vitis noſtra abundans in lateribus domus Dei: tunc fructificabit *ſicut* Virgo ſacratiſſima *vitis electa, ſuauitatem odoris*, & erunt veſtri quoque fructus ſicut fuerunt eius, *fructus honoris & honeſtatis*. Videre mihi iam videor, quomodo tunc illâ aduenientè, Pſa.127. a 3. Eccle.24 v. 22.

„ eius ſunt omnia plena Virg. 2. Georg.
„ Muneribus: cui pampineo grauidus auctumno
„ Floret ager, ſpumat plenis vindemia labris.

Quot illam tunc beatarum mentium agmina comitabuntur! quæ gaudia, cantus, plauſus Angelici, cùm fructus animarum noſtrarum ad maturitatis adoleuerint perfectionem! quando iam nec luridæ mortis nox, nec improbitatis dies poterit ſauciare, quos manſione carcerei corporis liberatos omnibus mundanarum cupiditatum & carnalium incendiorum flammis reſtinctis diuinæ gratiæ ſyparia obumbrabunt. Tunc admirabundi, lætabundique pulcra veſtrarum mentium monilia conſpicietis. aurum fortitudinis, prudentiæ maturitatē, coronas temperātię, vniones iuſtitiæ, virorē ſpei, fidei candorē, purpuram caritatis, pulcritudinem humilitatis, & miſericordiæ vbertatem: quæ ſuas opes diſpergens & largiens pauperibus indefeſsâ liberalitate inexhauſtam Marianæ vineæ largitatē pro modulo ſuo fuerit imitata. Hac ſpe freti, hac fide fortes & alacres, ad hanc nos vindemiam paremus. Vineę noſtræ culturam & cuſtodiam, quam par eſt, nunc exhibeamus: gremium colligaturis vuarum optimarum oneremus, bonæ voluntatis, & operationis ſtrenuæ pedibus diuinum fructum in Eccleſiæ calcantes torculari læti exprimamus, & crura direptis nudata cothurnis nouo fluente muſto tingamus: vt huius vitæ peractâ vindemiâ, tandem Amb. li. 9 in Lu. c. 10.

diuina

diuina dona libantes in regno Patris de melioris vitis genimine, perpetuos agitantes dies festos, crateribus inexhaustis cælestia vina coronemus; cùm *vitis vera* palmites in se permanentes recognoscens, ad beatas illos sedes transtulerit, vbi sempiternâ beatitudine perfruantur. DIXI.

Habita Louanij, M. D. XCV.

VII.

IN FESTO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ.

PROPOSITVM.

Dum esset Rex in accubito suo, NARDVS *mea dedit odorem suum.* CANT. I. C. 12.

Thema explicatur

NEQVAQVAM me latet (SODALES) quàm variè PATRES hæc Salomonis explicarint, de Ecclesiâ, de animâ fideli, de Mariâ Magdalenâ; vt Origenes[a], vt Theodoretus, vt Philo Carpathius, vt Iustus Orgelitanus, vt Aponius, vt venerabilis Beda: sed hoc tempore magis placet, quod Rupertus Tuitiensis[b] & Honorius Augustodun.[c] censuerunt, sanctissimæ DEI GENITRICIS *Humilitatem* significari: quæ licet semper excellens, multo tamen excellentior visa, postquam DEI filius, Rex Regum, Dominus dominantium in eius vtero humanam indutus carnem ter tribus mensibus requieuit. Hic thalamus

a in hûc Cant. locum.

b libr. 1. pag. 9 in Cant.

c in libr. quê vocat, Sigillũ Mariæ.

mus Sponſæ, vnde vt Gygas egreſſus ad currendam viam ſuã exſultauit. hoc magnificũ ſolium pacifici Salomonis. hæc mirifica domus quam ſibi Sapientia æterna ab initio & ante ſæcula condidit. In hoc ACCVBITV DVM ESSET REX, accubitu non alieno, ſed planè svo, in quo nulla mundo portio, nihil peccato iuris, nihil ſuum diabolus agnoſcebat. dum in hoc horto, in quo cuncta florum genera, & odoramenta virtutum, accumberet; ſuper quem SPIRITVS Domini requieuit: *ſurrexit Aquilo*, & *venit Hauſter*, & omnes hortuli areolas perflauit: Spiritus ille vivificator ſuperueniens obumbrauit, & diuinæ gratiæ ſuæ charifmatibus impleuit, & mox omnia vndique aromata fluere cœperunt. DEDIT MARIÆ NARDVS ODOREM SVVM; vel (vt Origenes & Theodoretus legerunt) DEDIT ODOREM EIVS, floris leſſæi quem conceperat. CHRISTI *bonus odor* MARIA, CHRISTI dedit odorem: &, quia CHRISTI dedit, ſuum dedit. nam in vtero eius CHRISTVS latebat: &, quia ſuum dedit, certè CHRISTI dedit; quia nihil in MARIA, quod non CHRISTVS totum poſſidebat. in hunc locum.

Sed quare *Nardus* potiùs quàm roſa, quàm lilium, quàm cupreſſus, quàm terebinthus, quàm aliud arborum, florum, vel plantarum genus, quorum omnium tanta copia in deliciarum paradiſo? docendum id mihi nunc paucis.

Dictorũ propoſitio

1. Oſtendam cur ſollemnitati hodiernæ hæc Cantici Canticorum verba accommodarim, cur
2. MARIÆ NARDVS in Cariatharbe *dederit odorẽ ſuum*;
3. & cur NARDVS potiùs, quàm aliud fruticis vel plantæ genus.

1. PARS. *Cur hæc de Viſitatione dicta*

DD. Bernardus, Anſelmus, & Rupertus, quos recentiorum Theologorum plerique ſequuntur, in expoſitione Cant.

per

per NARDVM tradunt mysticè *Humilitatem* significari. cùm itaque hodiernâ *Visitatione*, tum aliarum virtutum, tum Humilitatis perillustre nobis exemplum DEI GENITRIX dederit: nónne recta ratio postulat, vt in eâdem festiuitate, quâdo Rex cæli & terræ, in ventre benedicto quiescebat, MARIÆ NARDVM dedisse suauissimum odorem censeamus? Motu & calore vis odorum acuitur. Surrexit MARIA *cum festinatione*, properauit iter: quia qui mouebat illam tarda molimina nesciebat. Non itineris longitudo (trium ferè dierum est iter pediti expedito) nõ molestiæ acclinis viæ, nec difficiles ascensus *in Montana* deterrebant: quoniam in illâ Deus, *in quo* Propheta *murum transiliebat*. quicquid asperum & difficile, feruore caritatis & humilitatis sedulitate superabat. Hîc sacri vates Aönij nemoris omnes opes pãderent. hîc Musæi thesauri diuitias & ornatum omnem expromerent:

„ Cælum nitesceret, arbores frondescerent,
„ Vites lætificæ pampinis pubescerent:

horridi & imbricitores venti silerent, soli cælum & solum Zephyri floriparis auris mulcerent: lene strepentes fluctus lęto complausu gratularentur: iners alioqui tellus in germinibus suis quasi subsultaret; luteolas calthas, pallidulas violas, purpureas rosas, ridentes hyacinthos, & candida lilia parturiret. Nobis tam disertis esse non licet: qui seueriorem Veritatis viam calcamus. Festinabat DEI GENITRIX, sed modestiam festinatione non corrumpebat. Modestiæ rationem habebat, sed SANCTI SPIRITVS incitãtis impetum nullo momento retardabat. Semper

„ —— qualis mente, talis incessu fuit.

Vidistis aliquando veliferas naues armamentis, linteis,

ratione sequens

ratione festinationis

colligitur ex Bedâ de loc. sanctis, ca. 9 & Aliz Topograp. Terræ sanctæ.

que describuntur.

Apud Ciceronem paullò aliter.

linteis, apluſtris adornatas ſecundo vento, celeri volatu maris æquora ſecantes? nihil illis velocius: ſtare tamen, nec ſe loco mouere videntur. talis nunc cælorum Regina incedebat: talis ingreſſa Cariatharben.

VI. PARS. *Cur tam ſplendida Cariatharbe? 1. cauſa ob nobilitatem ab antiquitate,*

O felix Cariatharbe! nequaquam tu minima in vrbibus Iudæ. tolle Bethleem, tolle Hierololymam: ſupra ceteras caput altius attollis. Hæc à Chamo (ſi vera ſcriptores Hebræi) condita, ante cunctas vrbes Palæſtinæ & Memphin Ægyptiam multis, ante Chriſtum verò natum annis bis mille ducentis ſtetit. hic Gygãres ſtirps Enachim habitauere. hîc Calebus fortiſſimus & fiducię pleniſſimus in Deum, imperauit. hîc Iacob & Lia, Iſaac & Rebecca, Abraham & Sara ſepulti. hic primi parentes humani generis tumulati. De Adamo plerique abnuunt homines doctiſſimi, quorum & in hiſtoriâ ſacrâ, & in diuinis litteris egregia monumenta ſuſpicio & amplector; ſententiam tamen hac in parte nunc quidem nõ ſequor, cùm D. Hieronymũ ſcriptis aliorum Patrũ oppugnãt. ignoſcite cara capita, ſi à vobis diſcedam, ne à vulgatâ verſione, quæ nobis ſacroſancta, recedam: ſi ad alias interpretationes contra ipſius auctoris, emendatoris ſaltem, Hieronymi mentem verba verear inuita detorquere. Nimis mihi diſertum & expreſſum videtur quod Iosve XIV. cap. Adamum in Cariatharbe ſitum legitur. Quis alius ille Adamus? vel vnum eius tenue veſtigium eruite. Sic autem vertiſſe Hieronymum, vt ſuam de ſepulchro Adami ſententiam confirmaret: abſit, vt credã. iniurius ſim viro ſanctiſſimo, ſi ſuſpicer: iniurius Eccleſiæ, ſi arbitrer tam improbum illi commentum placuiſſe, quod in contextu ſacroſanctæ paginæ toleranscomprobaret. Placeat potius

Antiquitas Cariatharbe ab Adamo.

de quo eius dicta ſit, ſententia.

Sed conuincitur de hac re a pluribus ſententia.

Ioſep 5. antiq. c. 7. & Rabbini in Ioſue

Ioſue 14 & 15. Gen. 23. 49

lib. Beleſcrith Rabba

Maſius in Ioſue & Toletus in Ioan. Baron. in Annal. Perer Natalis, & alij.

tiùs, Hebræâ phrasi nomen Adami, non rarò pro appellatiuo cuiusuis hominis nomine vsurpari: sed mihi quidem nouum est, vt vel Græci vel Latini interpretes in suâ versione hunc idiotismum fuerint amplexati, nullo addito vnde appareat pro homine alio accipiendum. Scio duobus aliis scripturæ locis ADAM vocabulum pro homine accipi, vno cùm in Samuelis Historia Dauid inquit; *Ista est enim lex Adam Domine Deus*, id est, hominum generi data, vt Lxx^ta & Chaldæus Paraphrastes exposuêre: sed ex additis non relinquitur locus dubitandi. Altero cùm Oseas vaticinatur; *In funiculis Adam traham eum*: sed & illud nodum soluit, quod nullo intermedio adnectitur, *in vinculis caritatis*; & eo quoq. loco Lxx^ta, Symmachus, Theodotio, Aquila, & Hieronymus, pro *Adam*, maluerunt *hominis* transferre. Denique neutro loco prò peculiari aliquo homine, sed pro hominum genere hoc nomen vsurpatum. Nouum ergo mihi *Adam* in Latinâ versione, vnum quempiam priuum hominem, alium à Protoplasto significare. cedo, doceant vbi; manus dabo. Interea magnopere mihi probaretur, si quis Patres Orthodoxos in Concordiam commodè reduceret. Quid prohibet ne conemur? Didici ex Honorij Augustodunẽsis Chronicis Adamum duobus in locis sepultum fuisse: vt facilè inducar ad credendum, Protoplasti cranium postmodum in Golgothâ, totum verò cadauer priùs in Cariatharbe sepultum fuisse. Verùm à quo, quãdo hæc translatio facta? non possum in re tam ancipiti, totq́ue sæculorum tenebris obscuratâ meridianam lucem polliceri, possum in hac caligine faculam aliquam, vel ambiguum solis lumen exhibere. Nam Iacobus Orrhöahita siue Edessenus,

1. Reg. 7 n. 19.

Ose. c. 11. n. 4

Hector Pinc. in Dan. c. 11.

nus, antiquissimus,[a] & apprimè nobilis inter Syros scriptor, magni P. Ephrem præceptor, memoriæ prodidit, Noemum primi patris ossa magnâ secum religione in arcam intulisse, & post siccatum aquarum eluuione terrarum orbem, cum ipso terrarum orbe ossa quoque illa filiis diuisisse, & quem præ ceteris diligebat Semo caluariam dedisse, cumque caluariâ terrarum partem, quam postea Iudæam nuncuparunt. Nónne credibile est hunc scriptorem ab antiquioribus ista Syris, quasi per manus accepisse? diuinâ quoque dispensatione factum vt protoplasti cranium in Caluariæ monte sepeliretur postea, quod priùs in Cariatharbe situm fuerat? Primò fortassis si prophetæ fuit, quod DD. [b] Athanasius & Epiphanius docent; & non potiùs incerti scriptoris dictum rei accommodú, quod aliis Patribus [c] magis probatur) vt prophetiæ illius fides constaret in Adamo, quam memorat D. Paullus [d] inquiens; *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Deinde vt eò loci, quò primus Adam situs fuit, qui peccatum in seram posteritatem transmisit illic secundus Adam peccatum illud originale, Ioanne sanctificato inciperet debilitare: & vbi cranium primi Adami secúdò sepultum fuit, illic Adam secundus mortem moriendo primus destrueret. Vt vbi infelicis Euæ cadauer, quem solent cetera de humanâ corruptione fœtorem sparserat; ibidem Euæ fortunatæ NARDVS de suâ incorruptione suauissimum odorem dispergeret: vt sicut illius odor superbiæ hominibus ad exitium fuit; sic istius odor humilitatis foret iisdem ad vitam sempiternam.

2. *Causa à loci mysterio.*

Vt primorum parentũ peccato in fieret medicina.

vt sacerdotij noui primitiæ illic celebrẽtur, Ioanne

Intelligitis meritò delectam Cariatharben, vbi tot ac tanta mysteria peragerentur? Accedit quòd hæc

[a] refert ipsemet Masius in c. vlt. Iosue.

[b] Athan. lib. de passione in fin. Epiphan. in fine lib. 1. contra hæres.

[c] Hier. Primas. Theod. Oecum. Theophylact. & Haymo in c. 5. ad Ephes. d. 5. c. 14.

Cęsari Baron. tom. 1. Annal.

hæc sola in Tribus Iudæ montanis ciuitas Sacerdotum: [vt non verear homini pererudito accedere, qui negat Zachariam Hierosolymis habitasse, licet id multi adfirment.] Decebat Ioannem noui Sacerdotij Prærursorem, à ter maximo Melchisedecij ordinis Sacerdote in vrbe sacerdotali sanctificari. Dauid Regē in Cariatharbe inunctum accepimus: (nam Cariath-arbe eadem quæ Hebron) decebat Saluatorem mundi verum epistaten, cuius nomen OLEVM EFFVSVM, hîc potiùs quàm vspiam alibi solido trimestri Baptistam suum athletā in huius sæculi scamma prodituram, & contra peccata certamen acerrimum subiturum diuinæ gratiæ ceromate inungere, & humilitatis inuictæ puluere inspergere.

Beda & Bonau. in Luc. Iansc. 4 Cōcor.

sanctificato,

& inuncto.

2 Reg. 2 v. 4.

Origen. ho 10. in Luc. Amb. de instit. virgin. c. 7.

CARIATH ARBE vrbem Arbee, & Arbee accubitum vel quattuor significat. Nónne in Cariath-arbe *Rex*, quando CHRISTVS *in accubitu suo*? nónne CHRISTVS *in accubitu suo*, quando MARIA in Cariatharbe *dedit odorem suum*? Nónne Regi nostro felici hodie in Cariatharben ingressu, regni sui possessionem auspicanti nomen quadriliterum, nomen illud tremendum & ineffabile? Nónne quæ ciuitas huius Regis, verè ciuitas quatuor litterarum? ciuitas Dei; cuius nomē in omni fermè sermone & idiomate totidem litterarum quatuor. nónne Cariath arbe ciuitas verè quatuor incomparabilium, cùm in eâ simul ELIZABETH & IOANNES, MARIA & IESVS? nónne hîc Cariatharbe NARDVM spirat quatuor ex locis, vt Humilitatem diffundat in quatuor cardines vniuersi? spirat humilitatē Elizabeth, spirat Ioannes, spirat MARIA, spirat IESVS. Seruum Dominus honorat, Dominum seruulus adorat. DEI Genitrix matrem Prærursoris inuisit; honorem hæc amo-

3. *Causa ab etymologia nominis.*

notat accubitum

& quatuor.

4. *Causa, cur Natus undique spiret humilitatem.*

litur, & regerit in honorantem. quocumque me verto, ſpirat Nardum: ſed efficaciùs & ſuauius MARIÆ NARDVS ſpirat, quia per MARIÆ nardum, NARDVS ſpirat IESV. Caſia caſiæ, ſtacte ſtactis, amomum amomi, nardinum Nardus odorem ſpirat, quid ſpiret Virgo, Mater, Ancilla Domini; niſi caſtitatem, caritatem, humilitatem? Prô dolor! quid nos ſpiramus? ſuperbiam elati, ſordes impuri, auaritiam auidi, crapulam ebrioſi. Sus (quod in prouerbio) ſuem, caninâ canis, capram olet capella. Miſeriis, ſtultitiâ, peccatis obruti ſumus: beati, ſapientes, ſancti volumus videri. viles & abiecti ſumus: amamus audire, clari & generoſi. indocti & ſcioli ſumus: alienis plumis vêtulum eruditionis nobis facimus. cupimus ſalutari, honorari, digito oſtendi. nec ſuperiorem ferimus, nec parem. vt malè ſuper alios efferamur, ipſi nos deiicimus infra quamlibet vilitatem. ad quas non fædas & ridiculas ambitioſi honoris artes dilabimur? quas non in Græcâ Comœdiâ Socratis illa vaniſſima Numina, NVBES & NEBVLÆ; ſed corculum & cerebellum mundanæ ſapientiæ & honeſtatis aulicæ pepererunt ſalutatione prœueniri, mulicbriter infractâ ceruice, collo, capite, corpore motitato geſticulari; ad libellam geniculationes expendere, &, quod vir DEI Iobus acriter deteſtatur, manum noſtrâ ori admouere; dextram, olim fidei ſignum, nunc perfidiæ adminiſtram facere, & eâ, non fraternum aut ſanctum (quod ab Apoſtolis laudatum) ſed vile & ſeruile, ſolis de lapide emptis mancipiis dignum oſculum, pedibus obuiantium offerre. quæ tamen qui non ſcitè ac peritè faciunt, bardi, ſtupidi, & inficeti habentur; qui bellè ac venuſtè, ſoli probi, ſoli prudentes, ſoli dignitatibus, honoribus, imperio digni.

quid nos?

O vanas hominum curas! ô pectora cæca!

1. Reg. 16. v. 7. *Non iuxta hominis intuitum Deus iudicat.* Hanc veſtram (mortales) prudẽtiam, vera DEVS ſapientia ſtultitiæ damnat. hæc illi vrbanitas, rus merum. hæc veſtræ aulæ honeſtas, illi caulæ dehoneſtamentum. Qui veſtrùm (clamat) maior eſſe voluerit, in regno cælorum (ſi eò peruenìat) minor futurus. Tanti eſtis quanti in conſpectu DEI apparetis: parui, ſi vobis magni; grandes, ſi vobis ipſis exiles. Quid ſuperbis puluis & cinis? leui te mors adflatu diſperget. quid tibi places Suffene? fætes hominibus, fætes Angelis, fætes Altiſſimo. tetram (ô lutum priſci Adami) camarinam ſpiras. diram (ô ſuperbe) Luciferi Mephitim exhalas. Eme tibi, ſi ſapis, ſi te amas, Nardinum humilitatis, vt NARDVS tua det ODOREM SVVM.

Dioſco. lib. 1. c. 6. 7. 8. & 64. Matthio lus ad d. c. 6. & lib. 1. c. epiſt. ad Pepuſũ. Nardum in montanis ſpontè naſcitur, frutice humili, radice breuiculâ, ſubamarâ, odoratâ. vis illi corpora calefaciendi, extenuandi, deſiccandi, abſtergendi, & proinde morbis quamplurimis ſalutaris: nec ſine nardo theriacæ legitima compoſitio conſtat. Extollite nunc iſta ad ſpiritalem gradum virtutis, & *Humilitatem* ſuis expreſſam coloribus cognoſcetis. Optat *Humilitas* naſci in ſolio felicis fortunæ, in editis perfectæ ſanctitatis, in vertice doctrinæ, & in culmine dignitatum. vix humilis eſt, cui nihil eſt quo efferatur. quid mirum vel magnum, ſi qui iacet non alios deſpiciat? illud grande ac præclarum in editis non altum ſapere, cùm extolleris te deprimete, & quod proprium virtutis iſtius) meritis polum attingere, & opinione tuâ circa ſolum repere. Humilitas inſtar thymiamatis electiſſimi cælum & terram odoris ſui ſuauitate iucũdat: initio guſtatu acidula, mox in dulcacidum ſaporem, tandem in mel merum

PARS III. (vt NARDVS potius quàm alias) quatyetus vera humilitatis, loco & ſolo. odore, ſapore.

efficacitate commutatur. hæc acediæ frigus animis expellit; & quicquid ſuperbiæ typhus inflauit, vel peccandi habitus indurauit, lenit, deprimit, diſcutit. hæc peccatorum ſordes per pœnitẽtiam deterget. hæc omnibus animi prauis affectionibus medetur. Quæcumq. ſpiritualis theriaca huius expers eſt, ſpuria eſt & infructuoſa: quæcumque quantum par eſt Humilitate fuerit condita, ſuprà quàm dici vel cogitari poteſt, ad omnes animæ peſtes & venena mẽtium profliganda habet efficacitatem. Præclarè B. Ioannes Clymacus, Omnium (inquit) ferarum venenatarum, quas corporeis ſenſibus percipimus, interemptor eſt ceruus: omnium verò, quas intellectu, Humilitas eſt interfectrix.] Gradu 23. de diſcretion. lib. 2. Pedagog. c. 8

& oleo. Ex Nardi frutice conficitur oleum, quod Clemens Alexandrinus prodidit à ſeplaſiariis in maximo pretio haberi: nullum ſpirituale oleum reperias carius aut pretioſius animi demiſſione. Parthicorum Regum, quod regale nuncupabant, vnguentum, inſincerum ſi ſine Nardo: cælorum Regi nulla virtus dilecta, niſi quę humilitate delibuta. Nardinum in alabaſtris, & odor eius in oleo optimè conſeruatur, tempore fit melius, & in vmbroſis locis diuturnius: Humilitatis tutiſſimus cuſtos Innocentiæ candor, eius ſuauem fragrantiam roborat & diffundit Miſericordia; vetuſtate non ſeneſcit, nec marceſcit, ſed vireſcit ſenio, & quaſi rediuiua iuueneſcit; auerſatur *Meridianum* illud *dæmonium* Dauidis, gloriam dico & honorẽ, quærit latibula, ſtudet ignorari. *Nardinum* duplex; ſpurium cui *ſpeudonardinum* nomen, & germanum quod *Piſticum* appellant. hoc ſimplex, illud, vt fœcunda ſunt vitia, multiplex. nouem herbas memorãt, quibus Indicum (hoc ceteris excellentius) adulteretur Gallico ſemper Hirculus adnaſcitur

de ſeqq. v. de Plinii hiſt. c. 1. & 2.

Pſal. 99. v. 6.

Olei & herbarum genera. Pſeudonardus.

Dioſc. 1. c. 7. Plin. l. 12. c. 12.

citur ſolitus Nardum mentiri. dignoſcas odore, qui nec amarus, nec odoratus. Hirculum olet, qui ſe nequiter humiliat, ore ſubmiſſus, corde ſublimis & erectus. deprehendes, ſi radicem attrectes: illam ſenties nec amaram; quia peccatorum ſuorum magnitudinem nec vident hypocritæ, nec deteſtantur: experière boni odoris expertem; quia carent feruore caritatis. Sicut enim ſpeculorum, quæ concaua ſunt & depreſſa, radiis oppoſita ſolis ignem rapiunt, & appoſita ſibi inflammãt; quæ verò conuexa ſunt & protuberantia, neutrum dicuntur poſſe: ſic humiles & ſubſidentes animi, facilè diuini Amoris ardorem rapiunt, facilè diffundunt; tumida verò & elata pectora penitus à ſe excludunt. Primæ Veritati pſeudonardus inuiſa; *Piſtica*[a], quam Latini ſinceram & puram nominant, tam grata quàm quod gratiſſimum. quare ſapienter felix illa peccatrix in Phariſæi domo pedes dominicos Piſtico perfudit: vt (quod Origeni[b] placuit, & Victori Antiocheno) ſuæ fidei puritatem oleo nullâ commixtione deprauato conteſtaretur: ſimul nos ad fidei, caritatis & humilitatis ſinceritatem inuitaret. *Piſticum* iſtud[c] *Foliatum* & *Spicatum*: hoc illo longè præſtantius. *Foliatum* ex foliis, *Spicatum* ex radice conficitur. nam periti rerum huiuſmodi æſtimatores ex Theophraſto, Dioſcoride, & Galeno prodiderũt, Nardi ſpicam, ipſam eſſe Nardi radicẽ. Propterea pretium Nardi in iis quæ humo conteguntur. Nónne Humilitas animi, mole corporis quaſi glebâ quadam obruta deliteſcit, longè pretioſior quauis verborum, quę caduca tantùm folia, humiliatione? quo profundior Humilitas, hoc Deo gratior & acceptior. Defodiẽdi ſpiritus immodici, animi ingentes deprimendi, atque vniuerſa noſtra ſuperbia

negua hu militas

& Piſtica, quæ vera humilitatem.

a *Piſtica* vocat Ioan. 12. & ſic in Marci Græc. ex emplar. Latina *ſpicatam* habent. melior illa lectio.

b Orig. in Cant. Victor in Mar. c. 12. c Plin. de 12. & Beda li. 2. in Cãtic.

duplex.

Plin. *ſincera*, Tibul. *pura* appellat.

Foliata & ſpicata

I 3 miſce-

miſeriarum, inſcitiæ, defectuum, peccatorum noſtrorum luto contegenda: vt, ſicut moſchus in locis graueolentibus amiſſum recuperat odorem; ſic nos de noſtris ſordibus ſeriò nobis ipſis coram ſanctiſſimæ Trinitatis ſolio vileſcentes, nõ quem hactenus dedimus, ſed quem oportuit ſuauem in poſterùm Nardi odorem exhalemus.

Poſſum virtutis huius maximè neceſſariæ amatori compendioſam ſemitam, vt quod optat citò potiatur, digito demonſtrare. cõfragoſa nonnihil & difficilis eſt initio futura; ſed paullatim planior & commodior rectà perducet. colliculus quidam eſt, quem vocant Humiliationem hunc quærat, & ab aliis oſtenſum auidè ſuperet. amet ipſe contemni, occaſiones arripiat; cùm viderit ſe deſpici lætetur animo quo ſe hoc cibo crebriùs & copioſius ſaburrarit: hoc Humilitati propior, imò & Humilitate iam plenior, Nardi purum ſpirabit odorem; tunc onyci ſimillimus futurus, de quo ſcribit Dioſcorides, eſſe conchylij operculum, ſimile operculo purpuræ, quod in Indiâ reperitur in nardum gignentibus paludibus. Ideo & odores ſuauiſſimos onycem afflare, quoniam teſtulis illis innata conchylia Nardo veſcuntur. Simili modo qui ſuperbiæ cicutis allium nocentius mandunt, tetrum virus adſtantibus inſpirant: qui humiliatione veſcũtur, hoc Nardi fragrãtiſſimo vnguento ſeſe atque alios reficiunt. ô *quàm iucunda* hic Deo *munera libet onyx*! ô quàm ingentem miſericordiæ iſte *Nardi paruus onyx eliciat cadum*! libr. 1.

Alios inuitat ad Humilitatẽ a neceſſitate, &

Agite igitur, agite mei ſimiles, agite mei ſimiles peccatores (imò me minores. quoniam meam in peccatis præſtantiam agnoſco) inuadite Humilitatẽ; ſine quâ nullus Deo placuit, nullus placebit. Vultis ad ſedes Angelorum vſque ſubuehi

& at-

& attolli? hâc nitendum. quotquot vnquam diuina dextra exaltauit, quotquot exaltabit; priùs illi se ipsos depresserunt, isti se quoque priùs deprimant oportet. Abraham tantopere Deo carus ex-
Genes. 18. v. 27 & commendatus, nónne sibi *puluis & cinis?* Tribuum Pater alius seniori prælatus fratri, tot opibus cumulatus, victor Angeli luctatoris, nónne sibi *minor cunctis* DEI *miserationibus?* Rex ille laudatissimus de post fœtantes ad solium cuectus,
Genes. 32 v. 10
1. Reg. 7 v. 8 & 18. nónne dixerat priùs; *quis ego, & quæ domus patris mei?* Petrus Ecclesiæ petra, Princeps Apostolorũ, ianitor regni cælorum: nónne qui antè palàm se
Luc. 5. v. 8. & ex animo professus *hominem peccatorem?* Cùm Paulum volumus innuere, dicimus Apostolum:
1 Cor. 15 v. 9. sed nónne, qui Corinthiis scripserat; *Ego autem sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus?* Longum nimis cuncta percurrere. Sufficit hodierni Euangelij series. Adspicite Eli-
Luc. 1. zabetham, dignatur illam DEI GENITRIX visitatione, dignatur salutatione, dignatur DEVS spiritu
Luc. 1. v. 43. prophetico, & nato Ioanne: quid illa? *Vnde hoc* " *mihi, vt veniat mater* DOMINI *mei ad me?* adspicite " Ioannem. *non surrexit maior inter natos mulierum:* "
Luc. 3. v. 16. quid ille? *non sum dignus soluere corrigiam calceamenti.* adspicite MARIAM, quam nec talis Angeli salutatio, nec sancti Spiritus obumbratio, nec in eius vtero diuini VERBI incarnatio vel tenuis gloriolæ γαργαλισμῷ titillare, vel leuiculæ vanitatis strictura potuit vstulare. Quo MARIAM DEVS altiùs extollebat, hoc illa se profundiùs demittebat: quo MARIA se magis humiliabat, hoc illam Omnipotens ampliùs donis & honoribus cumulabat. Imitemur Elizabetham, vt & DEI GENITRIX nos inuisere dignetur; quâ salutante vaticinatur Elizabeth, Ioannes sanctificatur. Imite-

mur MARIAM: cui hæc obſequij ratio gratiſſima de morum ſimilitudine oblata. Humiliemus corda & capita noſtra: ad imum nos deiiciamus: coram minoribus etiam decreſcamus: & (vt D. Petrus ait) *humiliemur ſub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore viſitationis.* Hodiernæ VISITATIONIS ſolemnia nemo ritè peragit, qui non humilis: tremenda quoque finalis illa VISITATIO (de quâ B. Petrus loquebatur) nulli felix aut fortunata futura, niſi qui fuerit humilis. Semper enim *Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam*: quam nobis largiri dignetur PATER, & FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS. AMEN.

Tertul. de pœnitent. c. 4.

1. Pet. 5. v. 6.

d. c. & Iacob 4. v. 6.

Dicta Leodij M. D. XCII.

VIII.

IN FESTO PVRIFICATIONIS.

PROPOSITVM.

Suſcepimus DEVS *miſericordiam tuam in medio templi tui.* PSALM. XLVII.

ROcvs ille feruens, & caſti faculis Amoris ſuccenſus, ardens Reginam cælorum, Patronam & Dominam noſtram (SODALES) cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio, B. Bernardus, Dauidis Prophetæ-regis verba, quæ ex PSAL. XLVII. delegi, quē totum ad Eccleſiæ militantis ob CHRISTI aduentus gloriam volunt pertinere; ad lætum & auguſtū quod modò celebramus feſtum accomodauit: illi magiſtro ſimillimus diſcipulus Abbas Guarricus, nec diſſimilis Aubertus, & alij eruditione clari aſſentiuntur: quodque caput eſt, columna veritatis Eccleſia Romana, idipſum nobis hodie decantans in Miſſæ Introitu apertè confirmauit: cuius auctoritatem ſequi, & ea mihi viſum quaſi ſcopum proponere, in quem hodiernæ orationis pharetræ tela omnia colinearem.

Aperitur propoſitum feſto.

hi eſt in hom. de hoc d'e. Magiſt. Sent. Hugo Carenſ. & Iacobus Chryſo. pol. in pſalm.

Videbat enim cùm iſta caneret prophetico lumine colluſtratus Rex, & quaſi coram intuebatur S. ſenis Simeonis, & B. VIRGINIS occurſum. videbat in medio templi exſtruendi auctorem miſericordiæ à Sacerdote vlnis excipi. videbat munera Virginis par turturum, vel par columbarum. videbat Dominum legis, quam per ſeruum ſuum Moſem tulerat, legi de primogenitis maſculis Deo ſiſtendis parentem; quam de ſolo IESV pro-

propriè latam D. Cyprianus [a], D. Ambrosius, & Theophylactus censuerũt. videbat DEI MATREM eiusdem DEI famuli [b], de illarum quæ masculum peperissent purgatione, iussis obtemperantem: quamuis ipsa legis istis verbis potiùs exciperetur, quàm astringeretur, ex [c] communiore Patrũ sententiâ quicquid [d] recentiorib. nonnullis videatur. Ab hac expiatione Latini PVRIFICATIONIS diem, vt ab occursu illo faustissimo Græci ὑποπαντὴς, vel ὑπαντὴς festum nominarunt; quod, vt nos, secundâ Februarij celebrant, quemadmodum in illorum Menologiis annotatur.

Quod Græci occursus, nobis purificationis.

De cuius institutione [e] non tantùm profliganda Nouatorum quorundam [f] hæretica impietas, more suo mendaciter & impudenter multa deblacterãtium; sed & Catholicorum fortassis nonnullorum [g] castigandus error; qui demum à Iustiniano Imp. huius festi solemnem cultum indictum existimant. quod accepère à Paullo Diacono [h] & Nicephoro, quorum certè auctoritas satis dilûta, & ratio non admodum firma non difficulter refellitur. Quia Iustinian. quincto post CHRISTVM natũ sæculo vixit. Sed Georgius Cedrenus hoc Iustino Seniori adscribit: & diu antè, Archadij & Honorij tẽpore Chrysostomus; priùs etiam Constantio regnante, Amphilochius & Gregorius Nyssenus; & paullò priùs Constantini Magni extremo imperio, Cyrillus Hierosolymitanus; & hoc senior, Decij & Valeriani persecutione, Methodius Martyr, annis ante Iustinianũ penè CCC. disertissimas ad populum orationes habuerunt, quibus pari pietate atque eloquentiâ festiuitatis istius mysteria exposuerunt. Cyrillus quidem & Nyssenus commemorationis festi sollemnis clarè meminerũt. Festum igitur iam olim institutum,

Iustinianũ fortassis ante tempora Iustiniani.

[a] Cypr. serm. de Nata. Amb. & Theop. in Luc. [b] Leuit. 12. v. 6. [c] Origen. ho. 10. in Leuit. Cyrill. Idiph. Beda, Bern. & alij in ho. huius festi, d Oleast. in 12. Leuit. & Ianss. in concor. qui volunt B. Virginẽ hac lege obligatã e vide Canis. in strum in MARIALI. f Bullinger. Sleidan. Selnecceri. g Durã. li. 6. Rationalis, & alij. h Diac. lib. 16. de gest. Roma. Nicepho. lib. 17. hist. ca. 28.

cùm

cùm Iustiniani imperio maximi terræ motus orbem perterrerent, sanxit Imperator coli diē certis operibus pœnitētiæ & supplicationibus superadditis ad diuinam iram auertēdam, quod ex hæreticis Selneccerus non diffitetur. Ambigua tamen fateor mihi adhuc origo instituti primùm in Eccl-siâ Catholicâ huius festi: quia non desunt ex Catholicis homines antiquitatis Ecclesiasticę periti, qui pertendunt omnino Iustiniani æuo id adscribendum. Sentiat vnusquisq. quod ipsi de hac re magis probatur: mihi quod dixi, ampliùs satisfacit. Certè cùm festiuitatis istius mysteria & mysteriorum multitudinem atque altitudinem mecum ipse perpendo, valde metuo, ne velut *scrutator maiestatis opprimar à gloriâ*. Sed conandum aliquid (SODALES) quia postulatis; timidè tamen, quia mihi meæ bene conscius sum imbecillitatis. Duo dicenda. de *Occursu*, de *Purificatione*. Iucundum vtrumq. & fructuosum spero. Fructuosum, quia de rebus ad salutem animarum prorsus necessariis: iucundum, quia quæ dicam erunt ad pascendùm cum intellectu voluntatem accommodata, tamque pauca & succincta, vt desiderium potiùs relinquere, quàm stomachum cuiquā mouere debeant: quamquam, vt quod sentio dicam, in piis istiusmodi & diuinis tractationibus, nec tædium, nec fastidium, nec nauseam par esset locum habere.

qui celebritatis auctus?

cū Canisio in Marialib.

sed sua prius, sua tunc, mysteriorum plenissimus:

hoc vt intelligatur agendū de Occursu & de Purificatione.

Proponite vobis ante oculos pompam; quā nullam sanctiorem, nullam magnificentiorem, nullam mysteriorum fœcundiorem vidit prima ante legem ætas, nullam vidēre post legem in manu MEDIATORIS datam sæcula, nullam vidit neque visura est in terris IESV sponsi sui sanguine Ecclesia purpurata. Intendite (SODALES) in eam oculo-

Occursus describitur.

oculorum aciem, non istam carneam & perituram, sed spiritualem illam animi vestri & immortalem. Egreditur, ecce, Bethleem oppido par coniugum castissimum, IOSEPH, & MARIA. properat Hierosolymam, vt Filium Patri, DEVM DEO sistant, nobisque præbeant exemplum promptæ, fortis, & constantis obedientiæ. Festinat virgo tenella, sed eâ modestiâ atque grauitate, quâ prius ad montana Iudææ festinarat: vt caritatis officiis erga cognatam seniorem defungeretur. Quid censetis, SODALES? nõne lætam calcari tellurem, risisse cælum, adspirasse dulces Fauonios, cuncta vernasse, creatoris sui baiulæ creaturas omnes inanimas applausisse? quanto verius & aptiùs nunc ille cecinisset?

Hor Matut.

„ Quà properat, veris sequitur color, omnis in herbas
„ Turget humus, medioq; patent cõuexa sereno:
„ Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
„ Imbuit, & dulci violas ferrugine pingit.

Claud. in. de rapt. & lib. de nupt. Pallad. & Celetinæ.

„ Prosequitur volucer latè comitatus euntem,
„ cælestium alituum comitatus, Reginam suam in hymnis & canticis deducẽtium, fors & illud continentium spei plenum. Isaiæ; *Surge & illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum & gloria Domini super te orietur.* & illud Aggæi; *Veniet desideratus gentibus, & implebit domum istam gloriâ. magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ, & in loco isto dabit pacem.* & illa Malachiæ; *Statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* denique, Surgite filiæ Sion, surgite filiæ Hierusalem, *accendite lampades vestras, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Sint lucernæ ardentes in manibus vestris, exite obuiam ei.* Non frustrà, ó Mentes diuinæ, iam

vers. Angelorũ alternatim ad occurrendum Saluatori.

Isai. c. 6. v. 1.

Aggæi c. 2. v. 7.

Mal. c. 3. v. 1.

voces

voces exaudiuntur, occurrit obuiam par senum, quale non aliud in toto tunc orbe Deo dilectius. hinc *Anna* decus viduarum cum femineo comitatu, *Anna* gratiosa filia *Phanuelis*, typus legis gratiæ, rerum diuinarum contemplationi assueta. *Simeon* inde cum choro sacerdotum, vir iustus & SPIRITV SANCTO plenus, *Simeon* obediens typus legis Mosaicæ. Futurus erat iste puer, qui offerebatur, salus præputij & circumcisionis: ab vtriusque typum gerentibus, opus fuit vt exciperetur. Non longe progressus *Simeon*, in numero multarum puerperarum (sic meditatur S. Thimotheus non ille quidem D. Paulli discipulus, sed alius admodum antiquus Presbyter Hierosolymitanus) videt DEIPARAM stantem, & cunctarum Dominam famulatus, quâ erat humilitate, deferêtem. vidit, & agnouit eam esse; de quâ (si fidem Nicephorus & Cedrenus impetrât) cùm legeret Isaiæ vaticinium dubitarat num virgo cõcipere posset ac parere: imò (secundum nõnullos) cùm ter vocem *virginis* erasisset, *iuuenculæ* vocabulum substituens, ter quam delerat vocẽ, restitutam repererat, & attonitus miraculo ad Deum confugerat, suppliciter ab eo petens mysterij tam admirandi secretum sibi reuelari. quod ab illis narratum, narro, non adfirmo: refero, non adstruo. nec enim apud certæ fidei scriptores vllum inueni: deque hoc nostro Simeone multa recentiores quidam, concionatoriâ laude clari commemorant ex apocryphis libris & næniis Thalmudicis accepta, quæ viri doctiores refellenda suis scripsis sibi duxerunt, ego mihi censui prætermittenda. Vidit (inquam) matrem pueri, de quo responsum à SPIRITV SANCTO acceperat, *nõ visurum se mortem nisi priùs vidisset* CHRISTVM *Domini*. VE vidit, totus

Occurrit S. Anna cum Asra cum 15. A.

Excipit Simeon DEIPARAM.

in ho. de nos festo.

Nice. l. 1. c. 10. Cedr. in comp. Ber. Bustus Maria, 8. Io. fer. 1.

Cornel. Mussus Ep. Bitoc. huius diei; & ante Galat. li. de arca. Ianse. in Concor. Baron. Anna. 1.

Excipit.

totus exſultat gaudio, iuueneſcit lætitiâ. incanus erat vertice & mento, ſed magis mente & corde. Senex erat ætate (centum & trium annorum) ſed erat ſenior moribus; annis grauis, ſed alacer deſiderio; ſenectâ tardus, ſpe verò celer; frigidus æuo, ſed ardens amore; viribus effœtus, ſed florens pietate. Verus amor non patitur moras. currit, non graditur. occurrit, non exſpectat. obuius DOMINÆ, flexo poplite in genua procumbit. Obſecro DOMINA, quid agis? VIRGO ſacratiſſima, quid moraris? cur languentem amore, marceſcentem deſiderio, exſpectatione deficientem differs vlteriùs? cur diutiùs maceras? quin reficis potiùs, & reſtauras, & ipſum ſibi reſtituis? Natum poſcit. redde, depoſitum eſt: dona, munus eſt reſtitue, pignus eſt: offer, oblatio eſt, victima eſt, hoſtia eſt; debita lege, debita promiſſo, debita liberalitate. peperiſti non ante multos dies, vt natum orbi largiaris. Miſit confeſtim Legatos ſuos orbis, qui natum adorarẽt. miſit Synagoga paſtores cum mollibus caſtaneis, cum dulcibus malis, cum preſſi lactis copiâ, cum tenellulis hœdis, paſtoriciis donis. miſit Gentium Eccleſia Reges cum thure, myrrhâ, & auro regiis muneribus. Reginam te vinci liberalitate non æquum eſt. Filium tuum Regem Regum munificentiâ cedere vel potentiâ ſuperari, flatigioſum. Non erit, non ſuperabitur, non vinceris. Dies eſt à partu quadrageſimus, quatuor denariorũ vinculo numerus perfectus. à Regum muneribus dies agitur viceſimuſeptimus, numerus cubicus trium nouenariorum, ſeu nouem ternariorum in ſe recurrentium complexione commendatus. Geometricorum corporum, quæ ſolida ſunt, cubus ſtabiliſſimum & ſolidiſſimum eſt: portet vos non niſi excellentiſſimum donum,

D. Tiron or ſuperius.

& accipiatur.

conſtan-

constantissimũ beneficium exspectare, donationem inter viuos prorsus irreuocabilẽ, nisi ob solam ingratitudinem, quã iura omnia detestantur. Cernitis? VIRGO pãdit sinum aureum, vlnas sidereas pandit. AGNVM DEI collo & vberibus dependentẽ aperit, ramũ aperit aureum; qui clausas inferorum seras aperiat ac reseret: thesaurum aperit, in quo thesauri bonorũ atque diuitiarum omnes absconditi. Mũdo PATER æternus illum donarat: Simeoni nũc MATER eum donat, sed in Simeone nobis omnibus eum donat. nostro Simeõ nomine donationẽ accipit; nostro nomine cælorũ cernit hæreditatem. nam dono CHRISTVM accipit, & cum CHRISTO donorum omnium possessionem. *Vt Dei* iam *filij nominemur & simus*, & quia filij, certè hæredes. quomodo enim (ait D. Paullus) *qui filium donauit, non omnia nobis cum illo donasset?* donauit cum illo omnia, nec quicquam donationi subtraxit. O te meriti (SIMEON) felicem humani generis procuratorem, qui dignus habitus IESVM MARIÆ manibus accipere! ô ter beatũ baiulum! baiulas qui totum hunc orbem digito sustinet? ô nimium felix ferculum! fers viuum panem qui vitam mundo tribuit vniuerso. ô felices, felices tensæ! sacrum puerum portatis, in cuius Angeli desiderant faciem prospicere. ô manus fortunatæ! contrectatis manus, quæ vos & omnia condiderunt. ô vlnæ ter quater beatæ! vos illum complectimini, quem nec terræ, nec terris vastior oceanus potest continere. ô mysteriorum pelagus immensum! tradit virgo quem virgo filium peperit, cuius pater feminam nescit, mater virũ ignorat: tradit quem genuit suum patrem, longæuum dierum tradit nõdum bimestrem. Senior puerum recipit ante se genitum, ante se natum. gerit se-

Accipit SALVATOREM vt eo per illum.

Rom 8. v. 32.

nex

nex puerum, sed puer senẽ regit. benedicit oblationi sacerdos, sed beat & sanctificat oblatio sacerdotem. Neque id sacerdos ignorabat, sed lætitiâ exsultans hostiæ, quam PATRI offerebat, se totumque genus humanum commendabat. ignem in sinu fouebat, accendebatur & amoris dulcedine liquescebat. Ecquid auribus excepistis? auditis Cycnæas illas voces, quas non Caystri ripis in vdis abiectus olor moriturus, pennâ traiectus aucupis, defectâ penè linguâ modulatur: sed Hierosolymitano in templo diuini transfixus amoris vulnere iamiam migraturus sacerdos *liquidâ canit animâ*? cupit dissolui, ardet *dimitti*, quia *viderat* SALVTARE DEI. viderat omnia, quia viderat eum, qui videt, quæ fecit omnia. longioris vitæ tædebat, quia vitam veram brachiis tenebat: DEI SALVTARE, quod susceperat in medio templi sui. de quo Psalmista, SVSCEPIMVS DEVS MISERICORDIAM TVAM IN MEDIO TEMPLI TVI. Vtinam (*Sodales*) nos iure subsequi canentem possimus, & simul ingeminare, SVSCEP. DEVS. MIS. T. I. M. T. T.! Scio plerique hodierno die sacræ pompæ interfuistis. scio, non pauci, quem Simeon vlnis, ore recepistis: sed vtinam vlnis animæ duabus, intellectu ac voluntate! vtinam vitam, non mortem! vtinam misericordiam, non iudicium! vtinam SALVTARE, non damnationem! quomodo sciemus id? inquiet aliquis. Si, vt Simeon, obedientes; si, vt Anna, DEO grati; si, vt virgines prudentes, cum lucernis ardentibus. Gessimus, inquietis, cereas fortassis illas. nihil actum: nisi & illas, quæ his persignificantur. gestatio cerei proba est, institutum Ecclesiæ est, Catholicis ante octingentos annos sollemne, vt D. Ildephonsus & venerabilis Beda testantur: quin & a Constantini

Vt nos illi imitemur:

ornati

obedientiâ, gratiâ.

puritate & caritate.

SIMEÓ a radice deicédit שָׁמַע scamagh auscultate: sed Simeō a radice, שָׁמַן Samā, impinguare. Vide Canis. in Martial.

fortassis

fortassis Magni temporibus, quod licet obscurius à Cyrillo Hierosolymitano subindicatur: sed typica gestatio est; puritatem exigés, quoniam opus apicularum; caritatem postulans, quia flagrat; exemplum & ædificationem proximi iubens, quia lucet. adeò magnum quid profitetur, qui cereum hodiernâ in pompâ præfert, qui festum celebrat PVRIFICATIONIS; nihil vt sordium in se relinquat necesse, præsertim si purissimæ sit VIRGINIS Sodalis. purificari illa voluit, non indiga puritatis: nullæ (Cyrilli Alexandrini verbis [a] vtar) fuêre sordes in Virgine matre, vbi non fuerat concubitus cum homine patre: nullæ in eâ fuêre sordes, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo perpessa fuerat dolorem. Verùm illa purificari voluit, vt nos ad eluendas animi sordes excitaret, vt legis Mosaicæ purgationem ipsa redderet puriorem atque sanctiorem. Nec sine causâ Ecclesia id nobis hoc mense Februario proponit. nam nomen huic mensi, non à belli quodam duce, vt Græculi nonnulli nugantur, sed vel à [b] Februis Lupercorum sacris, vel à [c] Februo Ditis patre commentitio lustrationum Deo, vel [d] vtramque potiùs ob causam; quòd eo mêse ciuitas lustraretur, & Manibus iusta persoluerentur, & cuiusuis generis Februa (sic piamina vocabant) tunc in vsu, aquæ viuæ aspersiones, far tostum, sulphura, laurei ramusculi, pineæ virgæ, desecta boum tergoribus lora, & aliæ de hoc genere quisquiliæ. Quam superstitionem sancta mater Ecclesia cupiens tollere, vt primùm potuit, PVRIFICATIONIS festum febriculosis illis Februis, teste Innocentio Pontifice [e], substituit, & vno nobis intuitu cunctam rectæ ac legitimæ expiationis rationem ante oculos posuit: vt ita purificati, *in medio templi* DEI cum

Festum PVRIFICATIONIS *hoc tam celebre?*

[a] lib. ad Reginas de quinque hæresibus, c. 5.

[b] D. August lib. 18. cõtra Faust. c. 5.

[c] Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 3.

[d] Ouid. libr. 2. Fast. Iuuenal. in Sat.

[e] Hom. de hoc die.

Simeone *miſericordiam diuinam ſuſcipiamus. In templo* (inquam) DEI ſancto, quod vos eſtis, *Sodales*, auctore D. Paullo; illo etiam teſte, qui ſcripſit, *Anima iuſti ſedes eſt* DEI. Quamobrem ante alia templum vobis illud à ſordibus expurgandum. Sordidari templa vaſaque templorum tribus maximè conſueuerunt; fumo, puluere, liquore: Animus iiſdem inficitur & contaminatur. quid illi puluis aliud, quàm cupiditas opum terrenarum? quid fumus, quàm vana quædam auiditas & ambitio honoris ac dignitatum? quid liquor, quàm lutulenta carnis libido? quinam alij præter iſtos malorum ſunt omnium fontes? ſi euacues, ſi ab illis te mundum exhibeas, bene mundus, planè expiatus, verè digna pars hodiernæ pompæ meritò iudiceris. Verum enimuerò quia parum prodeſt morborum cauſas tenere, niſi ſimul noris remedia; pharmacum nunc nobis & mali medicina breuiter præſcribenda, id eſt, PVRIFICATIONIS methodus explicanda. Mali huius ſiue triplicis immunditiæ triplex quoque piamen inuenio, quod corporatarum rerum idem mentis noſtræ; ventum, aquam, ignem. puluerem ventus diſiicit; fumoſas & liquidas maculas aqua detergit, aut ſi firmiùs inhæsêre abſumit flãma. vt aura puluerem, ſic auaritiam diſpergens & pauperibus largiens liberalitas fugat. Superbiã humilitas retundit, quæ ſimilis aquæ per valles & ima delabitur. Impudicitiã Amor DEI conſumit, qui prorſus animas ignis inſtar accendit. Videtur id (nequeo ſatis admirari) cæca Gentilitas intellexiſſe: cui purgationum præcipua genera tria, flammis vſtulari ex Hetruſcorum, aquis circumlui vel adſpergi ex Græcorum, vẽtis oſcilla cilleri ex Syri Pherecidæ diſciplinã, vt Minæus Felix in Epithalamio

vt nos ipſos expurgemus.

faciendũ ad inſtar templi materiati,

à puluere, (auaritiã) & a fumo, (ambitione) & liquore. (Veneris) Euerrenda iſthac omnia,

vento, (liberalitate)

aquã, & (humilitate) igne (caritate)

Nec ignis vi medicinam iſtius Gentiles.

1. Cor. 6. 16. Sap. 7. 27.

lib. 1.

mio Mercurij & Philologiæ prodidit; eoque sensu poëtarum doctissimus suis inferis easdem tribuit expiationes:

lib. 6. Aeneid. „ ——— aliæ panduntur inanes
„ Suspensæ ad ventos aliis sub gurgite vasto
„ Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Gentilium nos ritus non imitamur, potiùs detestamur: nec ab illis mutuamur, potiùs quæ à nobis accepêre, hoc est, ex litteris sacris, vt iniustis erepta possessoribus, vindicamus. Deum OPT. MAX. sequi & imitari aliquatenùs conamur. Ipse mundum illum magnum semel aquis expurgauit, semel igne purgabit, ventis assiduè perflat vt emundetur. Ipse mundum hunc exiguum (hominem dico) spiritus aurâ sui purgat quotidie, igne caritatis purgat quotidie, fluentis misericordiæ purgat quotidie; quodque facit quotidie, isto potissimùm die paratus est facere, tum MARIÆ, tum IESV gratiâ. huius id oblatio impetrat, illius etiam Purificatio id impetrat; hanc nemo ritè celebrat nisi purus, illius nulli festum felix elucescit nisi purificato. Arbitrij est vestri, in manu vestrâ positum perire vobis fructum huius diei, an animæ vestræ fructuosum malitis illuxisse. perire quis vult? in sordibus suis maneat, & computrescat; puluerem animo non detergat, fumum non abluat, rubiginem non deterat, peculiari post obitum iudicio crimina ventilanda retineat, purgatoriis flammis cùm discesserit expiandas labes reseruet, vel vnâ secum æternis ignibus conflagrandas. O miseros, qui talia mente consilia voluunt! dementes, qui ad ista non aduertunt! profligatosi qui negligunt vel contemnunt! Quanto satius hîc cupiditatem excutere orationis aurâ, superbiam abstergere lacrymarum riuis, libidinem absumere

Non illos nos, aut sanctissimus, sed Deus imitamur

quis præ-ter, & præbet quibus vo-luerit.

ſumere flammâ caritatis! Abundè nos id hodie CHRISTVS docet, & vt poſſimus quod docet, neceſſaria largitur inſtrumenta. Quoniam ipſe eſt[a], quem Elias *in tenuis auræ ſibilo* cognouit: ipſius [b]*in manu ventilabrum* vt purget aream ſuam: ab ipſo Samaritis accipere iuſſa [c]viuas aquas, vnde qui biberit non ſitiet vnquam, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam: Malachias eum vocat *ignem conflantem*, qui mundet argentum, & quaſi *fullonum herba purget filios Leui* (vos purget ô Sacerdotes DEI altiſſimi) quem Moſes vocat ignem conſumentem, vt conſummet non vt conſumat, vt perficiat non vt perdat: hunc ignem ſe *veniſſe in terram mittere*, & *velle vt ardeat* ipſemet profitetur. Hunc igitur ignem, hanc auram, hunc ventum nos hodierna feſtiuitas monet exſpectare.

a 3. Reg. 19. v. 13. b Luc. 3. v. 17. c Ioan. 4. v. 13. e. 3. v. 2. Deut. 4. v. 24. Luc. 12. v. 49.

Si nequis CHRISTVM, imitare MARIAM.

CHRISTVM non potes imitari? MARIAM ſecundo loco tibi propone. Caritate feruebat, teſtatur id eius Viſitatio, teſtantur nuptiæ in Canâ Galilææ: florebat Humilitate, nomen *Ancillæ* teſtatur: Miſericordiâ & Liberalitate excellebat, id niſi foret, quomodo munerum à Regibus paullopriùs receptorum, ne tantum quidem illi ab eleemoſynis reliquum, vt agniculum hodie potuerit offerre? MARIÆ quoque perfectio præſtringit oculos, & conſequi deſperas? Simeon tibi ſit exemplar: *iuſtus* erat, pulueres cupiditatis excuſſerat: *inuratus* erat, nullus ergo locus fumoſæ ſuperbiæ. *plenus erat Spiritu ſancto*, fortior armatus improbam voluptatem eiecerat. Ventus in illo, ignis, & aqua, ſed ſpiritalia. Si nec Simeonem potes; quid ni ſaltem vetulam viduam in ſexu fragili? potes orare, in templo frequens eſſe potes, carnem potes ieiuniis domare, cum gratiâ gratiam acquirere potes & conſeruare, lethalis expers culpæ, diuino fre-

Ne quid? imitare SIMEONEM.

Luc. 2. v. 25.

Ne hanc quidem? ſaltem ANNAM

no fretus auxilio potes degere, alioqui tibi NATVM suum non donat MARIA, tibi non suscipit Simeon SALVTARE DEI: tibi nata Phanuelis non annunciat venisse Redemptorem. Te (mi homo) quisquis huiusmodi, quò mittam, quò relegem non habeo, non scio; nisi ad bestias, non vt in arenâ cum illis depugnes, sed vt in hac tuâ dementiâ ab iis erudiaris, quarum videris quàm sanctorum exemplis malle vitam instituere. caue ergo ne sis brutis turpior, ne belluis impudentior. Leæna si pardo corpus adultero commiscuit, nõ audet marito leoni se sistere, nisi priùs diligenter aquis corpus abluerit. tu nequam, tu fornicatrix anima, te sponso tuo in conspectum audebis dare, in templo eius, ad illius sanctissimum altare, priusquàm pœnitentiæ sacramento te sedulò expiaris? Cico niæ par cura puritatis, scilicet iniuriam thalami morte luituræ, si coniux persentiscat. Tu maleferiate DEVM ter maximum, qui zelotypum se & æmulatorem cõtestatur; nõ exhorrescis? ah nescis miser, nescis quã sit horribile in manus VIVENTIS DEI incidere! Quid memorem elephãtum? quid olorem? quorum neuter vel ad congreges, vel ad gregalium suorum illotus audet armenta reuerti, quando cum suo compare generi propagando fuit operatus. pudor illis tantus, honestatis cura tanta, vt vel eius rei pudeat, quam natura belluis, homini mãtrimonium permittit. Quis æquo animo patiatur hac in parte per bruta se superari? quis ferat à Gentilibus vinci, qui sacra nunquam attingebant, nisi priùs flumine viuo sese adspersissent? cui possit æquum videri, vt magnâ sedulitate vestes à pulueribus, tabulas à fumo, argentum à rubigine arceat; animæ maculas foueat & augeat, vel saltem non curet abstergi? Nolite

Nec hoc sibi quo missus ad bestias non videretur.

Leænam.

Cicerii.

Elephantem.

Cygnum.

Peruersum.

(*Sodales*) nolite, per CHRISTVM, ita desipere sit potiùs Simeon antè oculos, MARIA sit exemplar, sit IESVS imago quam imitemini. Audite Apostolum CHRISTI clamantem, *Emundate manus, purificate corda duplices animo.* CHRISTI typum Salomonem audite; *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Audite ipsummet SALVATOREM iubentem, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Eia igitur (SODALES) amoris diuini flammas, vel emortuas, vel langueſcẽtes, nouo pabulo virtutum excitemus in præcordiis nostris; probè accensas, verbis præluceamus, operibus dispergamus; quæcumque vel digito attigerimus, omnia diuinis incendiis inuoluamus. ita fiet, vt sicut hodie DEI FILIVS oblatus fuit in templo Hierusalem terrestris; ita noster animus, expurgatus ab omni cõtagio, sedenti in throno cęlestis Hierosolymæ lætus offeratur. vt sicut senex Simeon ineffabili cũ gaudio IESVM excepit: ita *longæuus* ille *dierũ* nos excipiat cũ lętitiâ inenarrabili & infinitâ. vt quemadmodũ PVER hodie robur ac vires præstitit defessæ senectuti: ita tunc per CHRISTVM & in CHRISTO renouetur vt aquilæ iuuẽtus nostra, vt phœnix ex vmbrâ mortis & sepulchri nostri cineres efflorescant. Nobis natus, nobis datus erit DEI FILIVS. veniet super nos gloria DOMINI. tunc in pacę nos dimittet, quia videbimus SALVTARE DEI. tunc cũ Dauide sine fine cantabimus; SVSCEPIMVS DEVS MISERICORDIAM TVAM IN MEDIO TEMPLI TVI. Hoc nobis præstet, qui potest, qui vult, DOMINVS N. IESVS CHRISTVS; qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. AMEN.

Iacob. 4 v. 8.

Prou. 25 v. 4.

Luc. 12. v. 1.

Dicta Leodici, M. D. XCI.

IN

VIIII.

IN EODEM FESTO.

PROPOSITVM.

Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum DOMINO. LVC. C. II. 22.

SI vel nos ab Angelis in cælestem illam Hierosolymam, quam petimus, maculis peccatorum sordidi inferri, vel sine peccatis hoc vitæ spacium percurrere possemus; meritò hanc purificationis sollicitudinem abiiceremus. Nunc quia cælorum ingressu quicquid impurum est excluditur, & nos dum hac aurâ vitali fruimur (SODALES) fieri nequit, quin ex mundi tetrâ colluuie cœni aliquid nobis adhæreſcat: ideo sollicita salutis nostræ pia mater Ecclesia hodiernæ festiuitatis iteratam quotannis memoriam, quasi stimulum torpori & incuriæ filiorum admouet; vt paululæ & breuiculæ purgationis molestiæ, beatitudinem æternâ præponamus. Equidem venio cum Euãgelico agricolâ non meum, sed DEI semen in vestri cordis terrâ bonâ seminaturus; quod opto vt fructum cẽtesimum, vel, sexagesimum, vel triceſimum saltem ferat. Pauxillum quid sationis adfero, farinæ mysticæ sata tria: quæ tamen potens est qui quinque panibus tot millia refecit, vt hoc Sodalitatis corpus pascant & satient multiplicare. Primum erit, de lege ipsâ Purificationis · proximũ de REGINA cælorum MARIA legi obtemperante: tertium de nobis ipsis, quorum

INTRODVCTIO a necessitate.

Propositio diuisorum.

I. II. III.

quorum illa causâ voluit obedire. nam & nos ſpirituales puerperæ ſumus, & nobis iſta lex myſticè promulgata, quâ LEVITICI cap. 12. DEVS iubet, mulierem quæ ſuſcepto ſemine maſculum peperit, quadraginta; quæ verò feminam octoginta dierum ſpacio ſe pro immundâ gerere: quod purificationis tempus donec impleatur, arceri illam à contactu ſanctarum omnium rerum, & ab ingreſſu ſanctuarij ſanciuit. Naturalem huius temporis rationem, quam D. Eligius, Ericus, & alij Patres diligenter proſequuntur, omittam: placet potiùs, quod vtilius, myſticæ explicationi immorari. Sciendum animam fidelem, puerperam vocari: quæ concepto verbi diuini ſemine prolem vel maſculum, bonorum & ſtrẽnuorum operum; vel muliebrem mollium & ignauorum enititur. Purgationis tempus diuerſis hiſce puerperiis diuerſum. Quæ bonæ voluntatis vtero diuini verbi ſemen concepit, & operationis bonæ prolem effudit: id eſt, quæ viriliter à tenuioribus etiam labeculis purgare ſe conatur, vt purâ mentis intentione totam ſe candidam & lucidam DEO poſſit peracto vitæ curriculo exhibere; XL^a^ illi dies purgationis ſuffecerint. Vt enim egregiè D. Gregorius Nyſſenus tradidit; quaternarius numerus ſignificat carnalem & corpori deditam vitæ rationem, eò quòd corpus noſtrum ex quatuor elementis conflatum ſit: ſed iſto quaternarius decies repetitur; vt moneamur hanc vitam corpori deditam ad perfectionem ſpiritualem perducere; vt non iam ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulantes, mandatis DEI denario numero comprehenſis, totam hanc compagem corporis ſubiiciamus. Sic ritè expurgabimur. Breuiter id nos docuit Pſalmographus. cùm *in* hac vitæ *viâ*

beatos

Euoluatur Moſaica lex, & ritus ſpiritualis noſtro puerperio ac commodetur.

in hom. de Purificat.

hom. de ſancto occurſu.

D. Bern. & alij.

Pſal. 118 in princ.

beatos dixisset *immaculatos*; probè subdidit, *immaculatos* esse, *qui ambulant in lege* DOMINI. nam isti se totos emundant. siquidem duo emundant illa, quæ in nobis purificanda Patres censuerunt, intellectum & affectum: illum quidem, sacrarum litterarũ scrutatione; istũ, DEI dilectione. Quare Rex idem, vt doceret, qui sint illi quos *beatos* & *immaculatos* iudicarat; subiungit eos esse; *qui scrutantur testimonia eius, & in toto corde exquirunt* DEVM. tales enim conantur à se amoliri, quidquid diuinis oculis putant displicere; &, quia vident imperfectũ suum, neq. se dum in hoc corpore corruptibili degunt, quotidianis culpæ maculis penitus liberari posse; propterea per XL^ta^ dies, per totũ huius vitæ decursum, seriò se profusis ex oculorum gemino fonte lachrymis; vno anteactæ vitæ detestatione, altero patriæ cælestis desiderio; studeant eluere, vt expleto purificationis tempore in supernæ Sionis templum admittantur. Quæ verò deterior anima bonæ voluntatis gremio diuini verbi semen excepit, sed præ imbecillitate, & masculi caloris atque roboris penuriâ nõ nisi muliebre quid enititur, nec audet se metu doloris ac molestiæ, aut rustici pudoris & noxiæ verecũdiæ, vt par est, vndique perfundere, fortiter stringere, & asperiùs detergere, puerulis assimilis; quorum manus scabiosæ, vel caput tineis opertum, qui lotionem aut pectinationem refugiunt, sine quibus tamen serpit malum, & exest vlteriùs: sic anima huiusmodi nunquã vnico quadragenario se queat expurgare, sed multum ex hac vitâ sordium deferens, aliis post obitum diebus totidem necesse habet à noxis venialibus absolui; donec octogesimo die, hoc est, secundâ illâ expiatione, probè emaculata subire beatitudinis æternæ templum

D. Bern. & alij.

mereatur. Hoc purificationis curriculo expleto puerperis antiqua lex permittebat ſanctuarium introire, ſed non ſine munere. Iubebatur offerre vel agnum pro holocauſto, & pullum columbæ vel turturem pro peccato, vel duos pullos columbarum vel turturem, vnum in holocauſtum, alterum pro peccato. Quod holocautoma DOMINO gratiſſimi odoris erat, ſi ritè concinnabatur. Ritus iſte præſcribebatur. *Auis oblatæ caput ad collum retorquebatur*: vt nos purificationis noſtræ tẽpore non erectà ceruice ſuperbi, ſed arrogantiæ vertice demiſſo humiles incedamus. primus hic ad virtutem gradus. hinc incipe, qui DEO vel hominibus vis placere. abominatio DOMINO omnis ſuperbus, ſed & homines eum deteſtantur. pone mihi ſuperbum vnũ, humilem alium; ruat ſuperbus in infortunium, nemo miſeretur: ruat humilis, gemunt omnes, miſerentur, eunt ſuppetias; illum cui malè ſit dignum, hunc indignum cui non bene vociferãtur. *Rupto vulneris loco, ſanguis ſuper altaris crepidinem defundebatur*: vt nos non more Iudaico veſtimenta, ſed Chriſtiano titu corda noſtra cõtritionis vngue ſcindentes, per confeſſionis portam quaſi ex vulneris hiatu ſanguinẽ, hoc eſt, peccata, in ſacerdotis aures effundamus. *Veſicula gutturis* (in quam cibum ſolent aues demittere) *abiiciebatur*: vt nos (quod præclarè fuit ab Euſebio Emiſſeno notatum) omnem vẽtris ingluuiem proiiciamus, hoc potiſſimùm ſacro, quod inſtat, Carnispriuio Quadrageſimali, quo rationi cõſentaneum eſt artiori (quod aiunt) zonâ perſtringere aqualiculum & præcedentium dierum conuiuiis abdomina nimis farta per inediam exinanire. *Pluma deinde prope altare ad Orientalem plagam proiiciebantur in loco, vbi cineres ſole-*

Leuit. 12. v. 6.

Leuit. 1. ſub fin.

hom. in feſto Pu rificat.

bant

bant reponi: vt nos morum leuitatem,& curiositatis vanitatem lõgè abiicere, & quasi post tergum proiicere discamus.nam cùm ad vitę exitum properemus,ad Occasum tendimus:& quia vitæ dies optimos transegimus, Orientalis certè plaga post tergum est nobis. ideo nos hæc vana, ludicra,mania cuncta decet obliuisci, quasi præterita, quasi nobis mortua, quasi nos illis mortui: abiicienda in *Cinerarium*, penitus dico sepelienda frequenti nouissimorum nostrorum meditatione; quæ quibus assidua & seria,fieri nequit,vt vel frequenter, vel grauiter delinquant. Nam SPIRITVSSANCTVS testificatur in æternum non peccaturum,qui nouissima sua memoretur. abiicienda ergo in *Cinerarium*: quia cinerum locus sepulchrum, noster locus; qui cinis sumus & in cinerem reuertemur. Denique *ascellæ auis confringebantur, & ligniis igne* " *suppositio super altare adolebantur.* Monemur pra- "
nos habitus animi abrumpere, & quæ scandalo sunt abscindere. pes tuus scandalizat te? præscindatur.oculus?eruatur. nulla sit vsqueadeo cõiuncta cognatio,nulla tam arta necessitudo, quam si peccandi fiat occasio, non soluamus. Monemur etiam cogitationes nostras coërcere,vt nobiscum habitent, & nequeant ad noxia & superflua dilabi.sic enim fiet,vt animus humilis,contritus,confessus, continens, sobrius, mortis memor, probè recollectus, deuotionis ardore succensus & absorptus in preces feruentes erumpens,*holocaustum & oblationẽ suauissimi odoris* se DOMINO præbeat. PARS II.

Non debet hoc iter vlli graue aut asperum videri; quòd videt hodie pro exemplo nobis MARIAM sexu fragili & ætate tenellâ præiuisse. Quid illi cum lege;quæ sine virili semine conceperat, sine concupiscentiâ & concubitu impręgnata, de SVS & MARIA.

Quomodo nobis exemplũ præbuerint IESVS & MARIA.

SPIRI-

SPIRITV SANCTO obumbrata, ſanctitatis & puritatis omnis fontem, ipſummet legiſlatorem ſine carnis corruptione, ſine ſanguinis aut ſecundarum ſordibus, ſine vteri apertione fuerat enixa? Lex illa vetabat *ne* purificationis tempore *ſanctum omne tangeret*: quid illi cum hac prohibitione? *Sanctum ſanctorum* aluo ſancta effuderat; manibus ſanctis in præſepio reclinarat, ſancto ſinu fouebat, ſanctis vlnis baiulabat, ſanctis vberibus adpectorabat, ſancto lacte paſcebat, & ſanctis labellis deoſculabatur. quo illam pacto legis prohibitio arcuiſſet ab *omni ſancto*? Cur agnũ offerret balantẽ, quæ verũ AGNVM mundi SALVATOREM pepererat lacrymantem, & tunc PATRI æterno filium offerebat lætantem? cur pullos offerret columbarum vel par turturum, cuius vita nihil niſi caſtitas, & innocentia, deuotio, & ſimplicitas fuit. Non erat profectò cur legi parêret, niſi vt cum filio iuſtitiam omnem impleret. Decuit hoc Natum, cur matrem dedeceat? Mater iſta iuſtitiæ, ſpeculum quoq. & exemplum iuſtitiæ fuit. Præterea legi paruit, quia nouerat ſuperbiam filiorum Euæ, promptam excuſare, tardam expurgare commiſſa. Malumus ah! malumus miſeri matrem antiquam imitari, *quærendo excuſationes in peccatis*; quàm nouam, nos à vitiis abſtinendo, & peccatum, vbi non cernitur, reformidando. Eua præuaricationis mater peccauit, & proteruè ſe excuſauit; MARIA mater redemptionis non peccauit, & quaſi peccaſſet purificationis legi obtemperauit. illam excuſatio perdidit, & maledictioni ſubiecit: hanc humilitas beauit, & *benedictam in mulieribus* effecit. Tanti nos moueat auctoritas exempli, ne de noſtrâ puritate præſumentes luſtralia pœnitentiæ remedia ſuſcipere differamus:

Leuit. 12. v. 4.

Guarric. Abbas ſer. 1. de Purific.

Pſa 140. v. 4.

Gene. 3. v. 13.

Luc. 1. 28.

Quã nouam diſſimules.

ramus: ne quantò contumaciùs, tantò fallaciùs nos mundos & puros audeamus profiteri. Sanctus es, vel esse debes, vel esse te putas? an sicut sanctarũ sanctissima quæ SANCTVM SANCTORVM peperit MARIA? Sanctum se profiteri quis audeat, Apo-
1.Cor.4 stolum audiens *Nihil sibi conscium, non tamen in hoc* iudicio sibi suo *iustificatum?* Pòst, inquis, videro, nunc aliis distincor, & valetudo spondet multũ æui superesse. Stulte, *quî* scis *an adiiciat hodiernæ crastina vitæ tempora* vitæ mortisque moderator & admensor DEVS? rarò, rarò planè qui non est hodie, cras aptior futurus. Cur differas, quod an postmodum posse dabitur ignoras? Vtinam nos (votum est B. Guarici) vtinam, inquam, humilitatem illam haberemus in peccatis nostris, quam verè sancti habuerunt in virtutibus suis. Illi, quia se credebant impuros, verâ puritate nitebant: nos quia bonos, vel saltẽ non planè malos nos iudicamus, nihil reuerâ nobis in diuino conspectu ma-
Ifai. 46. 6. culosius: *omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.* Nobis igitur exemplum MARIA præbuit humilitatis: illi filius præbuerat. Liber erat à lege Circumcisionis, vt peccator voluit circumcidi: Dominus omnis creaturæ; vt seruus hodie voluit offerri. Vah superbiam humanam! Abiicimus iu-
Ierem. 2. 20. gum omne potestatis, dicimus; *Non seruiam.* Quæ nunc subordinatio in republicâ, in domibus priuatis, in scholis, in monasteriis, & Ecclesiasticis congregationibus? sibi quisque vult præesse, sibi parêre: pueritia ferocit, iuuentus lasciuit contumax & effrenata: sic assueta, sic à parentibus edocta; primò parentes ipsos contemnere, mox magistratus odisse ac leges aspernari, tãdem & patriæ bellum nefarium indicere. Cui puero parens non nauci, cui iuueni præceptor nõ pili, huic viro non

assis

assis fuerint vel Reges, vel leges. His gradibus ad culmen istud scelerum peruenitur; cuius ruinâ tandem videmur opprimendi. Si proba fuisset educatio, vitæ quoque decursus melior & commodior foret; & aliam Belgij nostri iam penè defecti faciem haberemus. Nunc quam videmus, meritò patimur: quia persistimus in contumaciâ, nec emendationis nisi leuicula quæpiam & ad momẽtum subrepens nos subit cogitatio. Quàm verendum, ne cuius nobis ad obedientiam & humilitatem speculum proponitur, id nostræ deseruiat ruinæ ac damnationi! Positus iste puer [a] *in ruinam & in resurrectionem multorum. in ruinam* sordescentium in sordibus peccatorum; *in resurrectionem* eorum, qui quas sordes contraxerunt eluere conantur in sanguine AGNI; [b] qui solus nos *lauit à peccatis nostris*; qui [c] solus *potest facere mundum de immundo conceptum semine*; qui [d] *peccata rubra vt coccinum supra niuem dealbat*; qui, est [d] *quasi ignis conflans & quasi herba fullonum*. illius meritis purgamur. nostrarum virium aut meriti non est expiatio, nisi merita nostra gratiâ DEI & CHRISTI merito condiantur. Notum istud prophetæ; *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es iniquitate tuâ coram me, dicit* DOMINVS. Sordes optimè nitrum abstergit, nec minus auctore Hieronymo fullonum herba, cui nomen borith: sed nec vllum smegma, nec sapo, nec nitrum, nec borith, absque AGNI sanguine peccati labem possunt tollere. non foret ille fusus, altum facinus & atrior pice macula totum genus humanum occuparet. Aduentu primo venit misericordiæ fluentis nos emundare: secundo veniet in iudicio & vltione. tunc *ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*. Ignis conflans

a Luc. 2. 34.
b Apoc. 1. 5. clobi 14. 4.
c Malac. 3. 2.
d Isa. 1. 18.
Jerem. 2. 22.
Psal. 96. 3.

conflans & purgans eos, qui locis expiatoriis amici detinentur; sed inflammans, non consumens pœnis consumi nesciis inimicos, Satanam & Angelos eius: quibus accidit, quod lignis & auro. Nam quod conflatur aurũ, purius & melius flammis elabitur: quod inflammatur lignum degenerat in carbonẽ, & denigratur. ita bonos iudex viuorum & mortuorum *conflabit*; prauos autem *inflammabit*. Nec illud ociosum, cõparari ab Hieremiâ IESVM, hõ aurifici, sed igni cõflanti; non fulloni, sed herbæ fullonię dealbanti. quoniã aurifex & fullo dealbationis & cõflationis dumtaxat sunt administri. fornaculis ignem ille admouet, hic cretam pedibus subigit: ipsa verò borith dealbationis, ignis causa est purgationis. Concionatores, confessarij & ceteri homines, ministri sunt dumtaxat. sed CHRISTVS causa est expiationis nostræ.

Rodulp. Ardens ser. 1. de Purific. Quemadmodum pro vt materiam ignis nactus est, vrit, calefacit, liquefacit, illuminat, corroborat, inflammat: simili modo SALVATOR in hunc mundum primò aduenies hominum frigida pectora calefecit, pectorũ duritiam liquefecit, peccatorum rubiginem exussit, infidelitatis cæcitatem illuminauit, originarij tabe dedecoris & seruitute dæmonis oppressos ac infirmatos corroborauit, desidiâ languentes & acediæ torpore facibus amoris sui inflammauit. Idcirco dictus, *ignis*: sed cur *herba fullonum*? an quòd huic herbæ proprium vestes emaculare ac simul dealbare? sic sanè CHRISTVS labes tollit animarum, & emaculatas Pario marmore reddit cãdidiores. Nouerat, qui dicebat; *Adsperges me* DOMINE *hissopo, & mũdabor*: (ecce prius illud) *& super niuem dealbabor*. en tibi posterius aliud. Sed cur Malachias vtriusque commeminit? nónne alterum sufficiebat? nimirum

Psal. 50.

mirum vt omni hominum generi promptam paratam expurgationem in CHRISTO significaret. sunt quidam molles ac remissi animi, facilè cadunt, facilè resurgunt: vestimẽtis squalidis & sordidis similes censentur, quæ non multo negotio fullonis ars emundat. sunt alij duri, ceruicosi, quibus peccari occasionem difficiliùs, quàm Herculi clauam eripias: similiores hi sunt metallis æruginosis, non lotoris, sed conflatoris, non herbæ borith, sed fusorij fornacis indigi censendi. Vtrumq. cùm petenti cuiuis CHRISTVS præstare sit paratus, quî fit (*Sodales*) quòd adeò pauci perfectæ purificationis ante obitum beneficio potiantur? An quia tenacior nunc IESVS, aut parcior? nefas id cogitatu. *Non est abbreuiata*, nec abbreuiari potest, *manus* illa DOMINI larga, quæ *omne animal implet benedictione*. Mutari nequit misericordia, quæ *vult omnem hominem* (qui sibi non desit) *saluum fieri*. An ergo quòd nostra delicta patrum nostrorum peccatis grauiora sunt & deformiora? sunt quidem illa, &

Quæ cauſa ſit cur tam pauci ad finem vſque ſanentur?

Isa. 59. 1. Psal. 144. 16. 1. Tim. 2. 4.

„ Ætas peior auis tulit — Horat.
„ Nos nequiores, mox daturos
„ Progeniem vitiosiorem:

Sed illi medico animarum æqualiter omnes pestes & vulnera curatu facilia. qui solâ voluntate animas creat, easdem perfacilè solâ sanet voluntate. An igitur quia *non est resina in Galaad*, neque prouidit Ecclesiæ sponsæ suæ de pharmacis idoneis ad filios persanandos? ignorat Sacramenta, & religionis nostræ rudis est, cui hoc in mentem aut linguam venit. Nos igitur nobis ipsi desumus, & quæ Mater Ecclesia proponit, quæ CHRISTVS Psychiatrus præscripsit negligimus remedia nobis adhibere. Nos miseros & miserabiles! nemo est qui

Ierem. 8. 22.

qui non ſentiat, qui non purificationis egere ſe confiteatur. Et quis queat negare? quotidie cum cœno carnis noſtræ colluctamur: iugiter ambitioſis huius mundi fuligínibus decoloramur: aſſiduè picem illam inferni, quam dæmones fuſſiciunt, malitiam & perfidiam contractamus: quomodo poſſimus, non inquinari, nõ ſenigrari, non conſpurcari? vix tamen vnum de cunctis millibus reperias, qui non tempus ad purificationem tributum ſæpenumerò negligat. quotuſquiſq. dierum rationem init; examinat dicta, facta, cogitata; trutinat quod in iis ſorduerit, quid lauandum? omnes fermè ruſticum illum imitantur, qui exſpectabat, ——dum defluat amnis: at ille Geor. 1.

Labitur, & labetur in omne volubilis æuum. Amnis iſte, vita eſt ita, *omnes* enim *ſicut aqua dilabimur*. Dies ad expiationem conceſſos velimus nolimus implemus. væ nobis ſi fuerit impleti, & purgatio nondum expleta vt neceſſe ſit nos altero quadragenario illo igne expurgari, quo nihil durius, nihil acrius, aut acerbius poteſt excogitari. Certo certius eſt, neminem templum illud cæleſtis Hieroſolymæ ſubire, niſi prorſus expurgatum: & qui primis (vt dixi) XL^ta vitæ diebus id nõ præſtiterit, aliis XL^ta tẽpore quod corporis & animæ ſeparationem conſequitur, diebus perficere debere. Cauſſas autem tantæ negligentiæ præcipuas mihi cogitanti, non alia propinquior vel efficacior ſeſe obtulit, quàm quòd ſordium noſtrarum fæditatem & turpitudinem, vel nõ ſatis peruidemus; vel per mentis elationem & cęcitatem, quod ipſi videmus, id alios latere volumus aut latere ſaltem poſſe ſperamus. Mater munditiæ & ſanctitatis ex lege non abnuit purgari nos puridæ ſcelerum ſentinę, ſordium plenæ cloacæ, immun-

a. Reg. 14. 14.

Nõ nullas tradit Guaric. ter. 6. de Purific. ſecũ toto.

da Augiæ ſtabula, euerri & mundari recuſamus? Quantâ cum ratione Salomon exclamet! *Generatio quæ ſibi munda videtur & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis.* quàm optimo iure miretur Iſaias, *quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudicij?* quomodo fideles animæ, aliâs DEO dilectæ, quæque placentia DEO ſapiebant, nunc animarum adultero Zabuloni ſe *proſtrauerunt in omni colle excelſo* ſuperbiæ, & *ſub omni ligno frondoſo* concupiſcentiæ? quomodo, quod alibi idem propheta deplorat, *peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt?* pleroſque videas eò progreſſos dementis impudentiæ, vt comiſſationes & ebrietates ſuas deprædicent, fraudes ac deceptiones iactitent, in furtis & rapinis exſultent, in rixis & cædibus ſuperbiant, de libidinibus & nequitiis glorientur. iſtis facta eſt frons meretricis; cui proprium & peccare, & non erubeſcere. talis, vt idem Sapiens ſcribit, *eſt via mulieris adulteræ, comedit & tergit os ſuum, & dicit, non ſum operata malum.* deteriores etiam iſti. nam illa negat culpam: iſti commemorant & laudi ducunt. *Væ animæ illorum,* ſubiungit Iſaias, *quia reddita ſunt eis mala.* tam certum iſtorum præuidebat oculis interitũ, ac ſi iam pœnas perſoluiſſent. Cum iiſdem DOMINVS per Hieremiam grauiter expoſtulat; *Quomodo dicis? non ſum polluta, poſt Baalim nõ ambulaui.* quaſi dicat, fruſtrà tibi blandiris, noui ego te, quàm tu teipſam meliùs. fallere me non potes. Vt ſcias me ſcire, quæ tegere conaris; *vide vias tuas in conualle, ſcito quid feceris.* videbam cùm faceres, & luce claritatis meæ penetrabam intimos animæ tuæ ſinus. Examina cogitationes, dicta, facta tua, inuenies te noxiam, impuram, peccatis ſcatentem. Quid illi? noluerunt ſeipſos iudicare:

Prou. 30. 12.
Iſai. 1. 21.
Ierem. 2. 20.
Iſai. 3. 9.
Prou. 30. 20.
Ad cap. 1.
Hiere. 2. 23.

care: quamobrem à DOMINO diiudicantur. *Ecce* (ſubdit) *ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris: Non peccaui.* Si nos ipſos diiudicaremus, à Deo non iudicaremur. Stulti, qui à Deo malunt. Non ita Iob prudens, quia ſciebat *ſe de mille vnum non poſſe reſpondere.* non ita Dauid, quia ſciebat *in cõſpectu eius non iuſtificari omnem viuentem.* Ideo maluit dicere; *Peccaui.* & meruit audire; DOMINVS *quoque tranſtulit peccatum tuum.* Aliorum de quibus Hieremias, merces, ignominia & ſumma infelicitas. hic euentus iudicij, & litis cum Deo conteſtatæ. pronunciat iuſtus iudex confuſione confundendos; *quomodo confunditur fur quando deprehenditur.* tempus enim futurum (quis ſcit an non præ foribus?) cùm quas quidam nunc labes animi celare nituntur, cunctis *Angelis & hominibus ſpectaculum* factæ, patebunt: *quando* DOMINVS
1. Cor. 4. 5. *illuminabit abſcondita tenebrarum & conſilia cordium manifeſtabit.* Neque id tantùm. addit; *Ma-*
Hiere. 2 37. *nus tuæ erunt ſuper caput tuum* (vehemẽter dolentium & quaſi deſperantium peculiarem habitum agnoſco) *quoniam* DOMINVS *obtriuit confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum.* quid dictu breuius, ſed quid auditu terribilius dicatur? etenim ſi
Beati Beatitudo ſtatus eſt omnium bonorum accumu-
Sanctini definitio à D. Tho. & Tacolo. gis recepta. latione perfectus: certè ſumma infelicitas, ſtatus erit omni malorũ accumulatione refertus: cumq; malum ſit boni priuatio, rectè definias miſeriam ſummam eſſe, ſi quis bonis omnibus careat, & malis proinde cunctis abundet. Nónne talis, qui *nihil habebit proſperum*: cùm nihil ſit proſperum, niſi quod idem bonum? Quid iam miramur Quid re- mergit vlteriùs, ſi cũcta nobis tam aduerſa? ſtolidi ſumus, ſi quid iraro Deo, hoc eſt, inuita proſperitate, proſperum exſpectamus. *Humiliemus capita & corda*

noſtra. nos reos agnoſcamus. reatum diluamus, puer hic, quem Simeon *in ruinam* multis poſitum affirmat, nobis erit *in reſurrectionem*. fuit in ruinam Iudæ, quia deſperauit: in reſurrectionem Matthæo quia maluit conuerti. fuit in ruinam latrom crucifixo à ſiniſtris, quia blaſphemare non deſtitit; in reſurrectionem crucifixo ad dextram, quia culpam agnouit: in ruinam Synagogæ, in Eccleſiæ conſtructionem: ad ſalutem purificandorum; ad damnationem eorum, qui ſordidi ſunt, & ſordeſcere gaudent, pecus ſuillum. Ita videlicet iubar iſtud ſolis lutum indurat, ceram liquefacit: ſanis oculis luce ſuâ lætitiam, lippis adfert dolorem: ſplendorem nycticoraces fugiunt, luſciniæ modulis argutis conſalutant. Diuinæ legis iugum Dei filiis leue & iucundum, filiis Belial aſperum & intolerandum, auium illi pennas iudicat, quarum onere ſuſtollēte in cælum efferātur: iſti onus Æthnâ grauius, cuius oppreſſi mole ad inferos deprimantur. Faxit ille, qui in templo pro nobis offerri dignatus Puer, vt nos ſordes noſtras & cognoſcamus, & cognitas non modò non iactemus, ſed hoc ſancto IEIVNII inſtantis tēpore ſic eluamus; vt quemadmodum hodie DEI GENITRIX purificationis legi obediens oblatura Patri DEVM Filium aſcendit, ita nos per aquam baptiſmi & contritionis, per ignem caritatis & tribulationis traducti, in refrigerium ſupernæ Hieroſolymæ ab Angelo cuſtode perducamur: vbi diuinæ claritatis puriſſimo intuitu mundo cordis oculo perfruamur. AMEN.

Dicta Leodici, anno 1592.

IN

VIIII.

IN EODEM FESTO.

PROPOSITVM.

Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua. Ego sum α & ω, primus & nouissimus, principium & finis. Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Ego IESVS *misi Angelum meum hæc testificari vobis in Ecclesiis.* APOCAL. XXII. V. XI.

RECITAVI (*Sodales*) edictum perpetuum perpetui Dictatoris IESV CHRISTI; vt retulit Ioannes Euangelista in admirabili Apocalypsis opere; cuius, Hieronymo teste, quot verba tot sunt mysteria. Ioanni Angelus reuelarat, Angelo SALVATOR noster imperarat fidelibus per Angelos Pacis, concionatores, in Ecclesiis denunciari. Si quod anno toto tempus commodum, hodiernus sanè dies commodissimus; quo PVRIFICATIONEM DEIPARÆ sollemni ritu quotannis Ecclesia celebrat, biennio de hac PVRIFICATIONE iam egimus. quid proderit eam colere, si nos in nostris sordibus maneamus? æquum ergo, vt tertius annus, iste nostræ cedat expurgationi; non à corporeis sordibus; sed ab illis animæ

De nostrâ agendum PVRIFICATIONE.

maculis quæ verè sordes nuncupantur: de quibus Christianus poëta cecinit;

Peccante nil est tetrius,
Nil tam leprosum aut putridum:
Cruda est cicatrix criminum,
Oletq; vt antrum Tartari.

Prudent. hym. de S. Laurentio.

Differentiæ peccatorum; quã Angelus præcipit, additu præmio & pœnã.

Purificationem ab hac leprâ verbis istis Angelus præcipit, & obtemperantibus æternæ vitæ promissionem, suppliciorum æternorum nõ obtemperantibus comminationem adiungit. Omnes hoc edictum mortales comprehendit, sed eos potissimùm; quos occulta Dei iudicia in peius proficere permittunt. Non deest vnquam DEVS auxilio sufficiente vllis peccatoribus; quosdam tamen non tam efficacibus stimulis ad bonum vrget, quorum cor impœnitens videt & abominatur. Vt enim Rupertus obseruauit, Sordidorum seu peccatorum quatuor sunt gradus. primus eorum, qui sordidas voluptates animo pertractant, quorum multi per ignorantiam labuntur. secundus illorum, qui scelus actu patrant. tertius, qui ex consuetudine delinquunt, & in peccatis consenescentes vt plurimùm ex infirmitate peccant. quartus illorum denique, qui scelera sua defendunt & excusant; quos ex merâ malitiâ & superbiâ patet delinquere: de quibus vix spei quicquã supereſſe DEVS docuit per Amos prophetam: *Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non conuertam eum.* nam qui tribus gradibus emensis in quarto consistunt, eos Deus solet sinere perire: & quia spes de talibus decollauit, ideo, vt audiuistis, eos DEVS alloquitur: non quidem præcipiens vt sordidi maneant; sed potiùs deterrens ne maneant, comminatorio illo & irrisorio genere loquendi vtens, quo solent homines irati

Primas. & Beda in Apoc. cal.

Genera variæ sordidorum, & quis hic Angelus alloquitur.

libr. vlt. in Apocap.

Amos c. 1. v. 13.

subditos

ſubditos malæfrugis compellare. ſic enim domini cùm ſeruos vident otioſos & vagantes, ſtate (inquiunt) manibus complicatis, penſum negligite, nec rerum iniunctarum ſatagite. Sic laſciuientibus pueris præceptores, ludite, garrite, tempus terite, doctos in viros euadetis. at illi mentem ampliùs quàm verba ſpectantes, in opus incumbunt, iſti quoque libros reſumunt. Sic Rex ſapientiſſimus; *Lætare ergo, iuuenis, in adoleſcentiâ tuâ, & in bono ſit cor tuum in die iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito, quòd pro his omnibus adducet te* DEVS *in iudicium.* Eodem planè ſenſu hìc per Angelum DOMINVS; *Qui nocet*, qui proximos iniuſtè lædit, *noceat adhuc*; pergat lædere. *qui in ſordibus eſt*; ipſe ſibi turpitudinis & fæditatis conſcius, *ſordeſcat adhuc*; pergat profundiùs limo cui hæret infixus ſe immergere. *qui iuſtus eſt*; qui ſe abſtinet ab omni proximorum iniuriâ, *iuſtificetur adhuc*; in operibus perfectæ iuſtitiæ proficiat. *qui ſanctus eſt*; integer vitæ ſceleriſque purus, *ſanctificetur adhuc*; puritatem & munditiam maiorem in dies conetur adipiſci. Non illis ſupplicia deerunt: non iſtis condigna retributio defutura. nec munificentiæ meæ deerit quod largiar, nec iuſtitiæ quod infligam. illis æternum *væ, væ* futurum: iſtis *euge, euge* perpetuum non defuturum. *Ecce citò venio, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.* capiti remuneratio impendet. veniens veniet & non tardabit, *citò veniet.* quantum hæc horula vitæ momẽtum ad abyſſum illum æuiternitatis? *Merces mea mecum eſt.* eadem phraſi ſæpiùs aliis locis DEVS vtitur: quia, quod rectè traditum ab Ambroſio, non eſt hominibus huius ſæculi ſimilis, feſtini ſunt in operis exigendis, tardi in re-

Eccli. ca 11. v. 9.

Iſai. c. 40 v. 10.

In Apo cap. 22

munerandis: quorum ideo ſera ſolutio, quoniam pecunias in locellis, locellos in marſupiis, marſupium in ſacciperio, ſacciperium in capſis, capſas in arcis, arcas centum clauibus obſeratas in locis ſubterraneis recondunt. quantæ molis & moræ hinc depromptam repræſentare! Sed CHRISTO cuncta ad manum, in cuius cũcta manu, qui cunctis pro cuiuſque indigentia largitur. Nil mirum. nam, vt hic profitetur, ipſe eſt A & Ω, *principium & finis, primus & nouiſſimus*. erat, quando ſæcula non erant, erit quando ſæcula non erunt, omni principio prior, omni fine poſterior: ab ipſo bonitas ſanctorũ omnium manauit, ab ipſo præmium & gloria ſanctorum manabit. fidelem promiſſorem habemus, prædem locupletem nunquam vadimonium deſerturum. Nullus igitur pigritetur emendari. Sera nunquam ad bonos mores via.

Duplex puritas.

Nemo ſe putet nimis inquinatum, ſemper ablutio profutura. Subiungit Angelus; *Beati qui lauant ſtolas ſuas*. petitur ablutio, beatitudo promittitur. quantillus labor pro tanto præmio! *Stolas lauant*, qui ſtudent animi puritati. Aliquando mundatur anima in proprio ſanguine; ſic loti Martyres: aliquando in ſanguine tantùm AGNI immaculati, ſic loti quoquot iuſtificatione dealbantur, primùm quidem in Baptiſmi, deinde in Pœnitentiæ ſacramento: de quo poſteriore lauacro hîc Angelum meminiſſe, nõ Tychonius[a] modò Donatiſta, ſed pleriq. Orthodoxorũ cenſuêre. Sanè in multis exemplaribus inuenias[b]; *Beati qui lauãt ſtolas ſuas in ſanguine* AGNI. vt vt eſt, ſolis puris ac mundis promiſſa beatitudo. Sic Pſalmiſta[c], *Beati immaculati in via*. Sic Eccleſiaſticus[d], *Beatus dives qui inuẽtus fuerit ſine maculâ*. Sic ipſa VERITAS[e]; *Beati mũdo corde, quoniam ipſi* DEVM *videbunt*. quia (verba ſunt

[a] Tych. hic. 6. in Apo. Aubio. Beda, Anſbert. Hayo hic. [b] M. S. ſi cui & impreſſis paſſim. [c] Pſalm. 118 in Prima d Eccli. c. 31 v. 8 e Matth. v. 8.

declam. in c. 5. Matth.

sunt B. Chromatij Episcopi) munditia cordis & conscientiæ puritas nullam nubē ad intuendum DOMINVM patiētur. Scitis essentialem beatitudinem in DEI visione positā · hac soli puri perfruentur. Sed quomodo puri futuri? Si cor purū fuerit, toti quanti quāti estis puri futuri estis. ideo dictū, *Beati mundo corde.* ideo petitum à *viro secundùm cor* DEI, *Cor mundum crea in me* DEVS. prudentissimè. quia cor, fons quidam est iugiter in nobis vitam aut mortem scaturiens. nōne Sapientis illud meministis? omni custodiâ serua *cor tuum.* nónne & illud Redemptoris; *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. de corde enim exeunt homicidia, adulteria, fornicationes, furta. hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* riuus ergo sordium à corde profluit. fontem purga, fluenta purgaris.

Psal. 50. v. 12.

Prou. 4. v. 23.

Matt. 15. v. 18.

Matt. 6. v. 22.

Confirmat Saluator alibi; *Si oculus tuus simplex fuerit, totum tuum corpus lucidum erit: si oculus tuus nequam est, totū tuum corpus tenebrosum erit.* Oculum DD. Gregorius & Augustinus, intentionem interpretantur. Sed quomodo futurus oculus noster purus? Ecclesiastem audi; *Sapientis oculi in capite, stultorum vero intentio in terrā.* Ait sapientem oculos suos in capite defixisse, illo scilicet, de quo Paullus, *Caput viri* CHRISTVS. id agunt, qui non quæ sua, sed quæ CHRISTI sunt quærunt: qui pro CHRISTO quiduis subire, vt membra pro capite, non detrectant: qui CHRISTVM vitæ suæ exemplar ob oculos sibi statuunt. *Stultorum* (ait) *intentio in terrā.* ideo legimus: *Mali statuerūt oculos suos declinare in terram* hoc est in seipsos, & amorem sui. Nos enim assumpti de terrā, in terram redituri, nónne terra nuncupandi? Stulti ergo qui mentem terrenis desideriis affigentes, quæ sua. non quæ DEI, sunt, quærunt, CHRISTVM caput abne-

Greg. li 18 Mor. c. 13.

Aug. l. 4. cōt. Iulia. c. 3.

Eccl. c. 2. v. 14.

1. Cor. 11. 3.

Psal. 15. v. 11.

Quomodo adipiscenda?

cordis mūditiā,

& intentionis simplicitate.

gaturi, si satis alicunde magnum lucrum adfulgeret. Omnium hæc mala intentio malorum causa est. Quapropter Ozeas propheta; *facti sunt abominabiles* (ait) *sicut ea quæ dilexerunt*. idcirco Zachariæ visum, dimitti de cælo amphoram, cui nomẽ; *Oculus eorũ in terrâ*; & in amphoræ medio sedentem feminam, cui nomen; *Impietas*; vt doceamur omnis impietatis matrẽ esse malam intẽtionem. Vultis ergo pietatem animis inserere? vultis eradicare genimina impietatis? intentionẽ in CHRISTVM adtollite. quãtam in eo cernetis puritatem? adtollite paulisper oculos vsq ad empyreum DEI thronũ, quid purius ipsâ puritate CHRISTO? quid ea quæ ad hanc, longo licet interuallo proxima, tamen proximè accedit PATRONA nostrâ Virgine sacratissimâ MARIA? quid Angelico illo exercitu? quid legionibus beatorum? omnes in AGNI sanguine stolas suas abluerunt. Deiiciamus oculos nostros, deiiciamus oculos nostros (SODALES) inassuetos tantæ luci. Cælestem igitur orbem illum stellimicantem, scintillantium, rutilantiumque distinctum ordinibus astrorum respicite; duo potissimùm luminaria magna, vnum vt nocti pręsit, alterum vt diei præluceat: quantâ nitent claritate? pudeat nos nostrarum præ illis sordium hæc tamen ipsa corã diuinis oculis sicut vestimẽtum veterascunt, & flammis expurgabũtur. Demittamus, demittamus oculos nimis alta sapiẽtes. Cernitis quatuor ista simplicia & impermixta corpora? supremũ ardens ceteris purius, impuritati nostrę interminatur, nisi lotione præoccupemus. fugite oculi, fugite hunc ignẽ nimis rutilum, nimis clarum, perferre diu non potestis. descendite ad cõtiguam aëris molem: hic ille est, quo spiramus. sordium quàm sit impatiens, docet vehemens & præfo-

Ose. 4. v. 10.

Zachar. 5. v. 6.

Hortãtur exempla

CHRISTI,

MARIAE,

Angelorũ

Beatorũ,

Calorum,

Solis & Lunæ,

elementorum,

ignis,

aëris,

præfocans tuſſis, quam experimur, ſi vel minimum quid in aſperam arteriam incautè veſcentibus inciderit: docet quòd implens cuncta, ſordibus locorum quæ implet, non contaminetur. Quid fluëta & ferè tellurem Oceanus ambiens? expuit morticina, cadauera non plus triduo patitur, & omnium ſubſeruit expurgationi. Sola pigra tellus iſta iacet immota ad ſordes, vtque ſordida eſt, amat audire ſordium receptaculum. dementes ſumus, ſi oculos noſtros in eâ defigamus. nam *ſtultorum intentio in terrâ*. Miſeri, ſi particulam diuinæ auræ, quæ viget in nobis, illi adfigamus. Supra hanc ipſam tellurem, quæ ceteris præſtant animantia, puritatis eſt cernere amantia. Mitto ciconias, leones, elephantos. mitto domeſtica reliqua; quorum quo crebriora, hoc nobis vtiliora ſunt exempla. quid, quæſo, mellificis apiculis minutius? tantus iis puritatis amor, vt impuritatem appropinquantium aculeis etiam perſequantur. quid vilius beſtiolâ murilegulâ? ſi quantam adhibet curam corpuſculo lingulâ lauando & pedunculis extergendo, tãtam nos noſtrę munditiæ curam gereremus, confecta res foret. Nos ipſos intueamur. quàm externa illa membra, nares, ora, oculi, ſunt impatientia ſordium? odore tetro nares offenduntur. guſtat os aliquid parum probum? expuit; ſi nequeat, cum cõuulſione euomit. oculis pilus vel titiuillitium incidit? negant officium, lacrymantur, dolent, donec extrahatur. quid partes penitæ, quæ nobiliores de principatu certant, cor, iecur, cerebrum? ſi quid illis vel ſordidi humoris influat, vel vaporis mali aut fuliginis offundatur; quot ſtatim catharri, raucedines, grauedines; quot palpitationes & deliquia; quot obſtructiones, inflammationes, & alia ſymptomata?

aqua.

non tamẽ terra.

ſed præſtantiã ſuper cæteras animãtiũ.

noſtri quoq.

mata? Solam ergo animam credimus adeò hebetem, & ſenſus boni expertem, vt non doleat, non infirmetur, ſi vel memoria labes præteritas retractes, vel intellectu fœditatum foueas imagines, vel voluntati noxias cupiditates & impuras libidines ingeras? offenditur, offenditur (CHRISTIANI) hæc imago DEI omnipotentis, quæ quo pulcrior, hoc deformiorem reddunt huiuſmodi maculæ. contrarium contrario appoſitum fit conſpectius, & in oculos ſe celeriùs penetrat. Offenditur DEVS, cùm in numiſmate ſuo non ſuam inuenit imaginem, ſed eius loco caracterem deprehendit hoſtilem. Ille vos (SODALES) ille vos hodie verbis Angeli ad puritatem adhortatur, & præmium præmiorum maximum pollicetur. Lauare vos vult ſtolas veſtras; *vt ſit poteſtas veſtra in ligno vitæ, & intretis per portas in ciuitatem.* Teſte Primaſio, *lignum vitæ*, crux eſt eius, qui in ligno vicit, qui ex ligno regnauit, qui ſe veritatem, viam & vitam eſſe pronũciauit. fructus ligni, iuxta Tychonium, eſt æterna beatitudo: quem fructum adſcendens in palmam ſponſa decerpere cupiebat. *Ciuitas* illa, cæleſtis Hieroſolyma eſt: *portæ* ſunt XII. Apoſtoli, per quorum doctrinam atque veſtigia nobis (vt optime tradũt Victorinus Martyr, & Arethas Cæſarienſis) patebit aditus in illã felicisſi nam manſionem. Quid igitur Apoſtoli præcipiunt? vnum ſapiunt omnes, vnum docent. omnium nomine D. Paullum audite ſic Corinthios alloquentem; *Has igitur habentes promiſſiones cariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.* ab omni planè: nihil ſordium relinquendũ. Nam *modicum fermentũ totam maſſam corrumperet. Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod eſt*

Accedit præmium æternæ beatitudinis, &

lib. 1. in Apoc.

hom. 1. Cant. 7. v. 8.

in hunc Ioũ Apoc. 21.

1. Cor. 7. 1.

1. Cor. 5. 6.

Ad Epheſ. 5. v. 5.

est idolorũ seruitus) non habet hæreditatem in regno CHRISTI *aut* DEI. Nam in ciuitatẽ illam *non intrabit aliquid coinquinatum, aut abominationem faciẽs.*

Apoc 21. 27. Audite quod initiò proposui Edictũ ESV Angelico præconio promulgatũ sordes omnes proscribens; *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruiẽtes, & omnis qui amat & facit mendaciũ.* quàm paucis totã scelerum sentinam exhauriens omnes immũdos excluſit? nihil in his verbis perplexum, nihil tenebrosum, luce cuncta clariora. quamobrẽ, vt rectissimè censuit Primasius, *his hominibus non diligentia adhibenda est exponendi, sed sollicitudo impẽdenda cauendi.* prę ceteris autẽ impendenda cauendæ impudicitiæ; quæ blanda pestis nunc (ô Sodales) *vestram per vrbem totã maximum exortum est malum.* Vellem de hoc dicturo, Archytam mihi liceret imitari; quẽ cùm ad spurcum quid dicendum rei propositæ series cõpelleret, nihil quidẽ dixit, sed parieti vt auditores legerent inscripsit. quid agam? nec carbo, nec ad manum creta est. quibus dicã verbis, quod nec patitur pudor me disertè dicere, nec ratio sinit aut zelus DEI penitus tacere. parcite quæso, parcite: non potest res tã flagitiosa verbis planè virgineis explicari. sat erit vitare sermonẽ prætexatum. Vbi iam priscus pudor? vbi cãdida castitas? vbi rosea vere cundia? quæ nos ceteris gẽtibus cõmendabat? exsulat pudor, castitas expulsa, verecũdia cõculcata, ô decus adiacẽtium prouinciarũ, qualem te mores exotici deformarũt! credétne sera posteritas, tardè semper credula, huc impudẽtiæ & impudicitię, & impurę obscænitatis malũ erupisse: vt non impunita modò, sed & laudata sit quo fædior hoc crebrior? vt ad diuitias & honores aditus hâc pateat, & proximi ad dignitates & publica munia

forte legendum nominibus.

gradus

gradus per dedecus & flagitia ſtruátur? Mitto circulos & conuiuia ganeonum, & ſellulariorum. digna dignis vocibus ſi paſſim perſonent, minùs mirandum, minùs dolendũ illud quis ferat, quis non ingemiſcat, in ſummi ſubſellij virorum (ſi hoc digni nomine) mẽſis Sybariticis, nulla frequentiùs colloquia ſeri quàm de nequiſſimis fæditatibus? Sed quid verborum impuritatem miremur, cùm nec capitis quidem honeſtati parcatur? capitiſne honeſtati parcitur, quando in conuiuiis *Phallo-vitrobuli* regnant? quando non oculis & auribus; ſed, quod vel dictu nefarium, obſcænitas vitrea incurrit ori? ſiccine petulca ebrietas capitis & imarum partium tollis diſcrimina? ſiccine fas & nefas exiguo fine libidinum vino madidi diſcernitis? tantine vobis Neæræ Circæum illud poculum miſcenti & propinanti placere? ſiccine vos femineæ petulãtiæ ſubſternitis, vt in ſcortilli gratiam, CHRISTI IESV gratiam nihili pendatis? ô ſpurci oris homines! ô animas diabolares! Scitis quàm proſciſſi veterum ſcriptis Lesbij, quàm infamis olidus ille ſecundus à Iulio Imperator. Sed illi cæci fuêre, & veritatis lumen illis non illuxerat. de Chriſtianis, quis vnquam talia fando inaudiuit; quis comperit vnquam legendo? certè de famoſis illis trium lurconum Caligulæ, Neronis, ac Vitellij cænis nihil ſimile proditum. ſolùm inuenio Heliogabalum, monſtrum & portentum magis quàm hominem, vaſa libidinoſis inquinata ſchematibus appoſuiſſe. *Vitreo bibit ille Priapo*, vt ait Satyricus. fecerant idem priùs pauci & propudioſi, quibus Iuuenalis & Plinius æterna merito ſtigmata inuſſerunt. ſed vt cunctarũ ſordium, ſic & harũ diligẽtiſſimus Heliogabalus. hoc ſibi placeant dedicatore: hoc auctore glorientur. Quid

ad

ad hanc pudoris iacturã maculæ queat accedere? Nõne diri huius poculi figura illud dici poteſt in Apocalypſi, quod magna meretrix propinauit: *ſedens, etiam, ſuper aquas multas, cũ qua fornicati ſunt Reges terræ; & inebriati ſunt qui habitãt terram de vino proſtitutionis eius?* vah poculum fædum, poculum dirũ, poculum execrabile! ô inſenſati, quis adeò vos faſcinauit, vt ex faſcino biberetis? vt Chriſti nomẽ profeſſi, & CHRISTI ſacris initiati, hunc beſtiæ characterẽ tantum non labris inſculperetis? Heu quantũ abſunt hi mores à vulgi etiã moribus! non dico à moribus Sacerdotũ aut Monachorum; nõ dico à moribus virginum & honeſtarum mulierum, non dico à moribus adoleſcentium & virorum honeſtiorum. ipſi illi pugiles, & athletæ, & gladiatores. ſoliti curando corpori curã primã adhibere; ſoliti corpora coram multitudine nudare; prę noſtris, quos carpo, comiſſatoribus, Curij certè & Catones cẽſendi. Clythomachum (de ceteris ſilebo, contentus vno) Pancratiaſten memorant; ſi in bruta incidiſſet naturæ operantia, viſum auertere. ſi qua in conuiuiis verba minùs honeſta proferrentur, è mensâ ſolitum ſurgere. Verùm belli noſtri conuiuæ auribus ad impudicos ſermones patulis & arrectis; oculis libidine & mero fractis atque natantibus fas ſibi ducebant quicquid nefas erat. Eant, eant oris homines impurati (ſi quid oris reliquum) poſtquam per obſcenitates bibêre: accedant ſceleſti ad puris vivificum, impuris lethiferum & tremendum altaris myſterium. CHRISTVS, (ô bone Deus, nimium patiens, longanimis & inexhauſtę miſericordiæ!) CHRISTVS (horreſco cogitans) CHRISTVS ne ſubibit os, quod obſcænitas tanta ſubiuit? labra calice Dei proluent, quæ dæmoniorum calice polluerunt?

Apoc. 7.

Aelian. lib. 3. variar. hiſt.

luerunt? Non metuunt, non expaueſcunt ne quod Ozæ arcam temerè tangenti quondam, id ipſis nunc accidat, & repentinâ nece Dominus profanos exterminet? non reformidant, ne forte; ſicut Iſca ioté proditorem poſt panis buccellam, eos quoque Satanas inuadat? cedo, character ille; quem manu geſſerunt, quem ori ingeſſerunt, cuius alterius character, cuius teſſera, cuius ſymbolum fuit? Sciunt qui Bacchi Orgia, qui Veneris Cypriæ myſteria, quo ritu, quibus initiationibus celebrari ſolita non ignorant. Suum ille ſymbolum recognoſcet, ſuos ſibi myſtas vindicabit. Sed manum age tandem de hac camarinâ. ad tam ſpurcum fætorem iam videor mihi videre nauſeabundos: equidé vel cogitatio ſola, ſtomachum mouit commemoranti. Quęſo quid libatione tali proſperum exſpectet Reſpublica? nónne meritò maximè metuendum ne talibus poculis calix iræ Dei ſuccedat? ſucceſſit ſanè iam & potari abſynthio belli, famis, & p. ſtilitatis felle incepimus, & innocentes noxiorum ſupplicijs in hac vitæ peregrinatione paſſim inuoluuntur. At illos comiſſatores maius ex magno malum manet, niſi reſipiſcant. Minatur diſcipulus dilectus IESV, iis qui non dicam in ore, ſed qui vel in manu ſuâ beſtiæ characterem acceperint; *bibituros de vino iræ Dei*; minatur *cruciandos igne & ſulphure, & fumum flammarum*, quibus conflagrabunt, *aſcenſurum in ſæcula ſæculorum.*

1. Reg. 6. 7.

Apoc. 14. 10.

& ſi contemnas, æternum ſupplicium.

Epilogus.

Nos verò (*Sodales*) velis remiſq. à futurâ venturaque fugiamus irâ, & veſtimenta ſanguine Agni abluamus. Si fæditas huiuſmodi alicui veſtrûm offeratur; per ſalutem vos veſtram, per cui vos deuouiſtis ſacratiſſimæ virginis obſequium, per Saluatoris noſtri pretioſiſſimum ſanguinem

quo

quo dealbati fuistis, obsecro, obtestor, adiuro; subeat animum virilis & iusta indignatio. Zelamini diuinum honorem, probrum vestrum repellite. Solo vitream obscænitatem illidite, vel saltem excidere manibus sinite, vt confringatur. Sancta confractio, quæ pudoris damna resarciet. felix illisio, quæ conscientiam tuebitur illæsam. Sic abluros animi maculis, sic exutos stolam corruptionis & miseriæ, IESVS, iudex viuorum & mortuorum, induat stolam incorruptionis & gloriæ: vt in ciuitatem Ierosolymæ cælestis intromissi, fructum ligni vitæ pacificè possideatis.

Fiat. Fiat.

Dicta M. D. XCIII.

XI.

IN FESTO ASSVMPTIONIS BEATÆ MARIÆ.

PROPOSITVM.

Ipse intrauit in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic soror erat nomine Maria, &c.

LVCÆ CAP. X. 38.

Luc. 10. 38.

QVOD hodierno die ex D. Lucæ historiâ Euangelicâ (SODALES) audiuimus de SALVATORE nostro IESV CHRISTO; ingressum in quoddam castellum, & à duabus sororibus, Marthâ & Mariâ, hospitio exceptum, id satis nequeo mirari nostri temporis Nouatoribus ido-

Butzero & alijs apud Canisium.

Absurdi & leues hæretici, qui negant Euangelium festo congruere.

neumiviſum in quod incurrerent. Ipſam fortaſſis glorioſæ Virginis DEIPARÆ *Aſſumptionem* in cælos negare non audebant; gnari feſtiuitatẽ à Græcis ſimul & Latinis, etſi non eodem nomine, eodem tamen cultu & honore, ab initio ferè naſcentis Eccleſiæ celebratam. cogebat tamen illos aliquid contra Romanam Eccleſiam effutire ſpiritus ille vertiginis; quo, Baſſaridum in morem, aguntur, rotanturque. quare cùm in rem ipſam non valerent; in annexa rei ſibi cenſuerunt arietandum, ſed ariete exarmato, & betâ languidiore; quò ſibi tamen mirè placent; irriſionis atque conuiciorum. Hic ſe nactos bellam volunt occaſionem videri; quaſi nihil Euangelicæ hiſtoriæ cum ſollemni die cõmune; nil VIRGINI cum Magdalenâ; nil DEIPARÆ cum ſollicitâ Marthâ; nil hoſpitio Bethaniæ cum ASSVMPTIONIS triumpho.

Partitio orationis.

Quare, DEO dante, conabor efficere, vt probè cognoſcatis edentulam iſtorum maledicentiam, & ſimul nihil aptius potuiſſe hoc Eccleſiæ inſtituto excogitari. Oſtendam primò DEIPARAM

1. CASTELLI imagine nobis optimè adumbratam:
2. eandem quoq. ſimul Martham & Magdalenam
3. eſſe myſticam: tum quid præmij & coronæ, pro
4. his officiis, ſit adepta: denique quid hic nobis propoſitum quod imitemur.

Intrauit IESVS *in quoddã* CASTELLVM. Scitis Bethaniam vocatum. Sed hoc nobis quod quæſo CASTELLVM denotet, niſi DEI matrem? quæ meritò *Bethania* totius obedientiæ verum domicilium, cuius illa vox perpetua; *Ecce ancilla Domini.* Meritò CASTELLVM; vt cui nihil eorum defuiſſe reperias, quæ ad caſtellum firmiſſimum, vel arcem munitiſſimam, vel ciuitatem refugij inexpugnabilem queant deſiderari. Ingrediamur cogitatione hoc

MARIA, Bethania, ab analogia:

eaſq; CASTELLVM ab omnibus caſtelli ſimilibus;

Luc. c. 18.

ne hoc castellum, cuncta interiùs & exteriùs lustremus. Notum castella sex laudibus censeri; architecto, situ, arte, præsidio, armis, & annonâ. Prælustria ista omnia in DEI GENITRICE; quam ædificauit non nouitius aliquis Baptista Leo, Durerus, vel Sorlius, nec veterum alius architectorum nobilium Philo, Dinocrates, vel Vitruuius; sed Architector ille Princeps totius orbis DEVS, ipse fun- Deo,
Psal. 86. 1. dauit eam altissimus: vt non sit prudentis exspectare aliam perfectiorem architectionem. Elegit Situ, tum fundamenti, in
situm naturâ munitissimũ, & fundamini iaciendo accommodatissimum. Lectum vobis crebrò, de vero sapiente domum exstruente permansuram. *Sapiens* iste *vir ædificauit super petram, &*
Matt. 7. 24. „ *descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt vẽti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit.* rationem quæritis? subiungitur; *fundata enim erat* firmã petrã.
„ *super firmam petram.* palàm est *Sapientem* hunc virum ipsam esse Sapientiam æternam DEI, coniunctam æternæ Omnipotẽtiæ (idcirco dixit non solùm *sapientem*, sed *sapientem virum*; quod nomen constat à viribus & virtute deductum.) *domum* verò, quam ab æterno sibi mente construxerat, MARIAM esse. quid enim fuit, quod illam MARIAM constant. 2.
potuerit ab amore DEI demouere? quid de statu Constantiæ deiicere? quid in aduersis deprimere, in prosperis efferre? *Descẽdit* imber afflictionum, inundarunt amnes persecutionum, (nam ipsa in filio passa, quicquid in se filius) *flauerunt* flabra maledicentiæ, *irruerunt* in illam: non modò non cecidit, sed ne illum quidem concussa fuit. quare putatis? *quia fundata erat super firmam petram.* Petram, nõ in demissis triuialium istarum virtutum vallibus iacentem, quas in corrupti sæculi huius hominibus cernimus, sed cælestiũ illarum, tum loci ed ti, in mon-

summæ virtutis. quas in Apostolis, & aliis Heroibus nostris, ipso etiam IESV Heroum Heroë suspicimus, virtutum solidarum, perfectarumque. Nam, teste Dauide;

» *fundamenta eius in montibus sanctis.* celsis illis sum- Psal. 86,
» mæ collibus sanctitatis. *Multæ virgines congrega-* in prin.
» *uerunt sibi diuitias, sed ipsa supergressa est vniuer-* Prou. 31
Ab arte munitionibus; fossatu, *sas.* Hæc loci conditio: muniméta ab arte & operibus haud minora. Principio DEVS *castellum* circumdedit *fossâ* latâ, profundâ, perpetuâ de quâ psalmographus; *Fluminis impetus lætificat ciuita-* Psal. 45. 2. 5.
tem DEI. Fluenta memorat, non tenues riuos, impetus ruentium aquarum, non torporem statiuarum. Hanc fossam, nulla (credite) suffossorum manus: quod aliquot maximis amnibus legimus cõtigisse, queat exsiccare, fluminis lapsu in alium alueum coacto: nulli se possint in fundum vsque vt suffodiant, peritissimi licet vrinatores penetrare: nulli robustissimi natatores queant nando traiicere. Quoniam est fluuius diuinæ Misericordiæ; cuius abyssus multa, profunditas immensa, latitudo infinita, impetus insuperabilis perpetuis gurgitibus redundans. Post fossam statuit *vallum* inuiolabile sanctitatis, & *murum* cũ *antemurali* impenetrabili. murũ Castitatis, & antemurale Humilitatis. quia malè tuta Castitas, quam nõ munit Humilitas: nec satis decora Humilitas, quam Castitas non exornat. Intestinis hostibus, carnis partiariis, Castitas resistit: vim dæmonis & mundi, hostium externorum, Humilitas infringit. In hoc muro turres editissimæ, non illæ Cyclopum fabulosæ, nec ludicræ Lamiarum turres: sed vera turris illa *Phanuel*, nunquam subuertenda; quam vidit DEVS, cùm *adspexit Humilitatem ancillæ suæ*: quæ vidit DEVM ceteris clarius, postquam hodie meruit in cælum assumi. Non turris *Syenes*, inimicitia-

Misericordiæ DEI;

vallo, Sanctitatis;

muro, Castitatis; *antemurali* Humilitatis

& turribus, virtutum aliarum

quarũ significatio deducitur ab Etymologiâ nominũ Hebræorum;

Iudic 8. 8.

Ezec. 30 6.

Iere. 31. v. 38. micitiarum; sed turris *Hananëel*, misericordiæ DEI per MARIA M pax mundo genita, illa ramum
Luc. 23. 4. oliuæ columba attulit. Non turris *Siloë*, spoliata & ruinosa (numquam MARIA cecidit, vel gratiâ
Cant. 4. 4. caruit) sed turris refugij pauidis, *turris Dauid* (sic vocat Salomon) *quæ ædificata est cum propugnaculis*. Has turres seruat lectissimorum militum ma-
& præsidio mil. Cant 3. 7. nus. hîc enim lectulus *Salomonis*, *quem sexaginta* tan, „ *fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes* „ *gladios & ad bella doctissimi*. Neque hoc tantùm: sed, vt qui vi nequeunt vinci, fraude ne capian- „ tur, insopiti & cauti additur propterea; *vniuscuius-* „ *que ensis super femur suum propter timores noctur-* „ *nos*. Lectulus iste beata VIRGO est, in quâ tot mê-
Psalm. 24 v. 6. sibus verus Salomon requieuit. ait ipsa; *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*. hunc lectulum floridum, suauefragrantem, deliciis refertum, custodiunt omnes Angeli, & omnes omnium sæculorum athletæ fortissimi, beati incolæ cæli, quos sexagenario numero comprehensos Philo Carpathius & Theodoretus scripsêre. Præsidiariis
& præsidio DEO, Præfectus idem, qui ædificator arcis, DEVS Sabaoth, DEVS victoriarum, verum belli pacisque
Psal. 45. 6. Numen. *Sanctificauit* (loquar cum Dauide) *tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius non* „ *commouebitur: adiuuabit illam mane diluculo*. Ab „ æterno tueri constituit, nunquam deseret, tuebi- bitur ab initio conceptionis, in illum æternitatis finem infinitum, terminum interminum, aderit „ matutinus, aderit nocturnus. *Quid* ergo *videtis in*
Cant. 7. in prin. *Sunamite, nisi choros castrorum?* Verè DEI GENI- „ TRIX *terribilis est* hostibus filij sui, *vt castrorũ acies ordinata*. Cunctas (canit Ecclesia) hæreses sola in-
& telis atque armamentario teremit in vniuerso mundo. Quid de telis & armamentario adiiciam? dixi de gladiis, idem de re-

virtutibus omnigenis: liquo armorum genere, quæ propulsandis vel infligendis vulneribus possum docere. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificatur cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Nihil ibi deest, quo puritas animi defendi possit, & debellari principes tenebrarum, quibuscum nobis acris & continua colluctatio. Millenarius ex decenario centies ducto nascens omnes numeros perfectè complectitur. quamobrem hoc numero SPIRITVS SANCTVS fuit vsus, vt sciamus nihil nostro castello defuisse armorum, vt Græci Latinique Patres prodiderunt, & Chaldæa Paraphrasis R. Ioseph clarè & disertè omnia fortium armorū genera illi adscribit. Restat commeatus & annona, sine quâ nulla toleretur obsidio. hic verò cuncta non ad parcum modò victum necessaria, sed ad opes quoque & copiam abundè congesta. Vultis panem? en vobis *panis Aser*, panis viuus, panis *pinguis delicias præbens regibus, habens omne delectamentum in se, & omnem suauitatem saporis; qui deseruiens cuiusque voluntati, ad quod quisque vult conuertitur.* MARIA namque *terra* est *benedicta*, quæ frumentum hoc lectissimum protulit; & panarium est fidissimum, in quo panis iste dulcissimus adseruabatur; & cibarius est accessus, qui libum istud mellitissimum SPIRITVS SANCTI excellentissimi dulciarij operâ pinsitum & permixtum, nono mense nobis exhibuit. Sed *non ex solo pane viuit homo*, potu indiget. In hoc castello *fons signatus hortorum, puteus aquarum*, inexhaustus; cuius figura præcessit puteus ille *viuentis & videntis*. Nã ex MARIA, *quando venit plenitudo temporis*, ortus auctor vitæ, & qui omnia videt, omnia conspicit, omnia nouit, & viuificat DEVS. in ipsâ *fons aquæ salientis in vitam aternam,*

Cant. 4. 4. Theod. Iustus Orige. & D. Greg. in c. 4. Cant.

commeatu armisque & annona

panis, CHRISTO; Gen. 49. 20. & Sap. 16. 20.

Mat. 4. 4 Cant. 4. 12. Gen. 16. v. 14. & c. 24. v. 62. Ioan. 4. 14.

potus, fons tegratiæ diuinæ.

æternam, cuius ampliſſimi tullij diuinæ gratiæ vbertatem nunquam ceſſant efflare. Poſſet his duobus obſidio diu tolerari. Verùm non neceſſitati dumtaxat, ſed & voluptati Deus, vt dicebam, voluit ire proſpectum. *Sapientia* hic *menſam ſuam proposuit. Suam*, non nummulariorũ, in DEI templo profanis contractibus, aut ſacrilegis beneficiorum nundinationibus vacantium: has CHRISTVS ſubuertit. *Menſam ſuam*, non *menſam dæmoniorum*; cuius qui participes ſunt, non poſſunt eſſe participes menſæ DOMINI. Menſæ dæmoniorum ſunt, quibus profectò nimis (*ô Eburones*) delectamini, protracta in cænam prandia; menſæ illæ Siculæ & Aſiaticæ cũ Perſico apparatu, quas Iſaias vocat *menſas vomitu ſordiúmque repletas*: per quas quod idem ait, *Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium.* tollite, tollite has menſas, polluunt hoſpites, contaminant conuiuas. Fit hæc menſa veſtra *coram vobis in laqueum, & in ſcandalum, & in retributionem.* fugite, fugite. adcurrite & adcumbite potiùs huic menſæ quam in *Caſtello* ſtrauit *Sapientia.* lautior eſt atq. lætior Solis illà menſâ fraudulẽtâ, quam Æthiopes admirabantur: deficiebant illic ſæpe cibaria, hic nouæ ſemper epulæ epulis, ciborum ſtruices ſtruicibus ſuccedunt. *Sumit vnus, ſumunt mille, quantum iſte tantum ille, nec ſumptus conſumitur.* Non hæc Tantali menſa, quæ inhiantem ludebat conuiuam. licet cuiuis puro adſidere, licet capere, licet ſaturari. Nec poſt ſaturitatem ira DOMINI ſuper manducantes adſcendit, vt olim qui in deſerto ſeſe Ortygometrâ expleuêre. Sed qui hanc ritè manducant, vitam æternam conſequuntur. quid tali menſâ iucundius, aut beatius?

& copia quoq; eam clarũ delicarum,

Ps. 9. 2.

Ioan. 2. Mat. 21. 15.

1. Cor. 10. 21.

c. 28. v. 7. & 8.

Pſal. 68. 23.

Eucharistia. D. Thom. Aquin. ca. ne Ecclesia de venerabili Sacramẽto

Num. 11. & pſal. 77. v. 31.

addine poteſt aliquid huic copiæ? *Miſcuit* eadem *Sapientia vinum*, addidit apothecas plenas mero Caritatis meraciſſimæ; ſtrues ſalinarum æternæ Sapientiæ; ſerias oblongas aëris aceti corporeæ macerationis; & continuæ totius hominis mortificationis; culleos diſtentos oleo miſerationis; veſtiaria totius honeſtatis & decoris; repoſitoria, ſeſami, nardi, croci, fiſtulæ, cinnamomi, ſuaueolentium virtutum; poma denique omnia noua & vetera meritorum ſponſo adſeruata. Hîc non Adonidis ad dies pauculos vernantes hortuli, ſed florum immarceſcibilium plenus hortus concluſus Virginitatis; quem perflat Hauſter diuini fauoris. hic Paradiſi emiſſiones per totum orbem diffuſę. Quàm bono iure Dauid exclamet? *Gloriosa dicta ſunt de te ciuitas* DEI. ô ſingulare CASTELLVM in quod *intrauit* IESVS! intrauit per portam fidei. *Beata quia credidiſti, quia perficientur in te quæ dicta ſunt tibi.* Salutis fides eſt ianua, ſine quâ fruſtrà SALVATOREM inuites. Sed ianua tantum eſt, nec manſura tecũ SALVS, niſi ſorores illam excipiant: niſi fides ſit viua. Mortua eſt, quæ per caritatem non operatur. Caritas deeſt, cui DEI gratia deeſt: deeſt autẽ diuina gratia omni lethalis culpæ reo. Vtinam (SODALES) ne multorum hîc fides mortua! vtinam me fallat iſta formido? Si quis hîc talis, age mecum ille caſtelli ſubeat interiora. Nónne cernitis quot virtutum nobis & operum bonorum ſtatim examina occurrunt? *Mulier quædã* MARTHA *nomine excepit eũ in domũ ſuam: & huic ſoror erat* MARIA. Nemo putet non vtramque ſororem excepiſſe: ſimul excepêre, deduxêre in cænaculũ ſimul: ſed quia Marthæ in herciſcundâ familiâ hæc domus obtigerat, ideo ipſa potiùs dicitur excepiſſe. mox Marthæ domeſtica ſollicitudo curæ

atque Tabernatorũ; virtutũ ac meritorum. Prou. 9. 1. Ex variis locis Cant. 3. Ianua Caſtelli Fides. Psal. 86. Luc. 1. v. 45. ſed qua viua per Charitẽ. Iacob. 2. 17. CARITAS exercetur ope. rtium Marthæ & Mariæ. Luc. 10. 38.

curæ, Magdalenæ ſtudiũ ſedere ad pedes DOMINI & ab ore loquentis, auribus & corde dependere. Soror vtraque delineatio quædam DOMINÆ noſtræ; quæ DEVM in vteri ſui thalamo excepit, quãdo Gabrieli reſpondit; *fiat mihi ſecundùm verbum tuum*: & vt excepit, in Marthæ ſimul curas, & in Mariæ ſtudia ſeriò cœpit incũbere. Hæc illa, *quædam mulier*. dicat aliquis, cur, *quædam mulier*? cùm ipſius nomẽ proprium mox ſubiungatur? quæ ſit ſubiunxit, qualis ſit ſubticuit. quæ ſit audiuiſtis, qualis ſit hoc explicatu difficillimũ. hic aqua mihi hæret. altioris res ſapiẽtiæ eſt. iuuabit fortè Regum ſapientiſſimus, docebit nos qualis iſta mulier: accedamus & conſulamus. Quid hoc? & ipſe ambiguus, ſtupet, interrogat, videns in cælum adſcendentem? *Quæ eſt* (ait) *iſta quæ adſcẽdit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij*? Adſimilat tenui & delicato radio incenſi ſeu ſuffumigationis alta petentis ex thymiamate aromatum & odorum omnium, ſed thuris potiſſimùm & myrrhæ. quia (quod ait D. Ambroſius) peccato mortua MARIA, ſemper DEO vixit. magnam profectò laudem: quæ tamen non plenè nos docet, qualis iſta *quædam mulier*. pergit Salomon interrogare; „*quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens, pulcra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata*? Speciosam mihi, benecque cuſtoditam (Bone Rex) narras, ſed nec tuus in his animus plane conquieſcit. Cur enim aliòquin adderes quæſitum tertium? *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectam ſuum*? vt video nos admirabundus deſerit admirabundos fruſtrà conemur explicare, qualis iſta mulier. emolliuit (vt ſic ad captum noſtrum loquar)

quæ amba DEI genitrix præſtitit:

Luc. 1. 38.

exterit CHRISTVM *hoſtiis,*

quæ & qualis mulier?

Nequit explicari, ſed admirandum.

Cant. 3. 6.

Ibr. de Iſaac.

Cant. 6. 9.

Cant. 8. 5.

Sed vere mulier, ab effectu; quia DEVM *mollitit*

quar) Deum, iustis de causis hominibus durum. Væ nobis, væ nobis, non foret hæc mulier. Erat DEVS *vltionum*, hæc fecit vt fieret DEVS *misericordiarum*. erat DEVS *Zelotes*, fecit DEVM *totius cõsolationis*. erat DOMINVS noster, REX noster, fecit vt audeamus vocare PATREM NOSTRVM. quid? eloquar an sileam, fecit vt DEI filius se seruum nuncuparet, nam *exinaniuit se vt formam serui acciperet*. Venit (ô superba terræ tubera!) vt ministraret. ô mulier! ô verè mulier! ô Virgo mansuetaria! cur non sic vocem? Nemo nescit ferum & indomitum animal monocerotem, virginis in gremium se solere abiicere, & illi indormire, & ex sæuo & immani, mitem & mansuetum fieri. DEVM huic animali comparat scriptura, cùm dicit; *Aedificauit sicut vnicornis sanctificium suum*. sequor enim Chaldæã Metaphrasim, & Septuaginta, & Vulgatam, & Patres omnes illos in libro vitæ cõscriptos: nec audio nouicium Senatulum cum suis Mazoretis solitâ fiduciâ *Camets* pro *Tsere* supponẽtem, & ex REMIM רמים *vnicornis* RAMIM *excelsa* substruentem. Cicurauit ergo MARIA vnicornium, formidandum illum leonem Iudâ mansuefecit; cuius iusta indignatio terribili rugitu æternæ damnationis incendia humano generi minitabatur; hunc illa mansuem & pacatum, vt agnum, reddidit. Ptolomæus, Firmicus, & Manilius inter benigna & salutaria sidera. Virginis sidus numerant: non temerè meâ sententiâ. quia quando Sol Erigonem subit, nobis oritur beneficus Auctumnus, dictus ab augendo, mitior æstate, pulcrior hyeme, ditior & largior vere: nec, vt hyems, est algu horridus, nec vt æstas æstu torridus; sed fretus quidam anni.

Sumpta ex psal. 93. 2. Cor. 1. Exo. 20. & 34. 2. Cor. 1. Leui 10. Psal. 73. Matt. 4. Phil. 2.

Virgo MANSVETARIA

Psal. 77. v. 69.

familia a filio Virginis,

quod præsidia Auctumni fruge largiori.

„ Tunc calor extremus primo cũ frigore mistus intem-

ita Iust. Martyr contra Tryph. Theodoret. Euthy. Hiero. Aug. Cassiod. in psal. & recent. Valesia, Telesm. & Genebr. Rabbinos aũ sequũtur Capen. Flamin. Sãctes. Ianser. Arias, & hæreticus Munste. noster.

Tucret.

intemperiem æstiuam & brumalem temperat. tunc Pomona suauerubens diuitias omnes suas pandit,& iactat;tunc

Tibul. „ Distentat spicis horrea plena Ceres,
& auari agricolæ votum superat: tunc paci propicitæ Palladiæ siluæ trapetis lassitudinem minantes pinguem dominis oliuinam pollicentur:tunc amœnus vitium risus inuitat nos carpere

Varro. „ —— caducam Liberi mollem dapem
„ De flore Bromiæ auctumnitatis vuidam.

Lætamini (SODALES) lætamini. adest hoc anni tempus.Sol Leonẽ deseruit, degit in Virginis hospitio. CHRISTVM Iustitiæ Solem VIRGO excepit, SALVATOREM excepit *quædã mulier. Mulier Martha nomine*, sed adũbratione MARIA, nõ illa Marthæ soror, sed per Marthæ sororem significata, MARIA *ex quâ natus est* CHRISTVS. ostendam hæc paucis. Magdalena contẽplatiuæ, Martha actiuæ vitæ specimen: vtriusque vitæ perfectio in DEI GENITRICE perfectissima. Concepit in vtero de SPIRITV SANCTO SALVATOREM, gestauit nouem mensibus,peperit in Bethleem, pannis inuoluit, lacte pauit, detulit in Ægyptum fugientem, reduxit redeuntem: triginta penè quatuor annis integris eum comitata sic illi ministrauit, vt veram DOMINI ancillam vel liuor inuitus fateri cogatur: adfuit etiam patienti filio, & morienti adstitit, & mortuum cum fidis illis amicis sepeliuit: post sepulturam & in cælos ascensionem Nati, credidit sibi (vt erat) creditam fratrum curam.illa se omnibus omnia faciebat, vt omnes lucrifaceret. illa Magistra Apostolorum, confortatrix Martyrum,doctrix Confessorum, speculum Virginum,solamen Viduarum, coniugum suppetiæ, Christianorum omnium decus atque præsidium.

Nunc Sol iustitiæ descruit Leonem degit in Virgine.

Cur DEI Genitrix hic significata per Martha & per Magdalenam.

Nónne

Nónne merito Martham vocaui? Nunc audite cur Magdalenam. Tota contemplationi dedita ſemper aſſidebat DOMINI pedibus. Priuſquam virguncula tenellula DEVM vtero cõciperet, aſſiduâ iam precatione & lectione ſacrâ DEVM mente conceperat. Vt autem peperit: quæcunque videbat, audiebat, legebat, *omnia in corde ſuo conferens conſeruabat*: mortuo filio, multò hæc ardentiùs, & quaſi tum vnica hęc ſibi cura incumberet, vt magno conſenſu Patres omnes tradiderunt. Vixit in vniuerſum, ex eâ quam veriorem iudico ſententiâ, annis ſeptuaginta duobus, filio viginti-quatuor ſuperuixit. Tamdiu mundo relicta, vt interea puſillus CHRISTI grex, vlulantibus circumdatus lupis hac *turris gregis* (ſic vocat Micheas) defenderetur: vt nouellæ plantulæ conſiliis & exemplis ſacratiſſimæ VIRGINIS, quaſi oportuno imbre irrigarentur: vt luctus quem ex CHRISTI abſentiâ fideles perceperant, MARIÆ præſentiâ tolleretur: vt recens Eccleſiæ ædificium, hac ſanctitatis & veritatis columnâ firmiſſimâ ſuſtentaretur. In hac incolatus ſui prolongatione degens inter homines, cum Angelis ſæpiùs quàm cum hominibus verſabatur, hærebat corpore in terris, animo cæleſtes orbes & Angelorũ choros tranſcendebat: cupiebat diſſolui & eſſe cum CHRISTO; propriæ tamen vtilitati, commune totius Eccleſiæ bonum præferebat, ſuamque diuinæ voluntati ſubiiciebat. Ex oculis gemmulæ lacrymarum fluebant, ex imo pectore gemitus & ſuſpiria erumpebant, ſed dulces gemitus, ſaccarea ſuſpiria; quia deſiderij & amoris. Erat in ore & corde illud ardentis ſponſæ; *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.* Veniat dilectus meus, abducat ſponſam ſuam in hortum ſuum, in Paradiſum

Luc. 2. 19.

Cur poſt obitum filij tot annis vixerit in mundo?

I.

II.

III.

IIII.

Deſiderij eius motiuum fuit voluntas Dei temperatum.

eſt ſemõtia Damaſ. Andr. Cretenſ. Euthymij. Glycęs & Metaph. vide Canifiũ in Matiali. Mich. c. 4. 8.

Cant. 2. 5.

disum gaudij æterni: *trahat me post se, vt curram in odorem vnguentorũ suorum; introducat in cellam vinariam* fruitionis gloriæ tamdiu exspectatæ, tam ardenter desideratæ. cessas dilecte mi? cessas? cessas hanc ancillam tuam, sororem tuam, matrem tuam ex hac valle lacrymarum eripere. Nequeo verbis consequi desiderij magnitudinem, quia nequeo cõprehendere cogitatione flammę istius exundantis altitudinem. quantum amabat, tantum desiderabat. Matres omnes amore vincebat. Iunge cortis auium amorem, cum aquilarum amore, & pellicanorum erga pullos, tigridis & leenæ erga catulos; accedat amor cunctarum matrum erga vnigenitos suos; adiunge amorem Seraphinorum & cælestium Mentium reliquarum: frigus est, glacies est præ amore MARIÆ. fors, an propterea duo ad arcam Mosaicam Seraphini pedes atque faciem suam alis obnubunt; quia pudibundi verecundantur tanto suum ardorem amore Virginis vnius tepidiorem. O DEVS benedicte perennis fons amoris, nõ compateris huic amanti? videt amore languentem Sol oriens, videt desiderio deficientem Sol occidens; & tu, qui vides omnia, non illam respicis? qui consolator es afflictorum omnium, non illam consolaris? pone DOMINE, pone DEVS iam tuæ terminum longanimitati. Posuit tandem DEVS (SODALES) impositum hodie modum atq. metam suæ lõganimitati. miser- *Obitus Mariæ.*
tus est matris amabilissimæ, matrẽ coronat. Non
Orat. de sacro occursu, apud Surium, 10. 3. assentior Timotheo presbytero, qui nunquam mortuam videtur indicare. Soluta fuit anim a inter mulieres benedicta nexibus purissimi sui corporis. Regina legi cunctis hominibus statutæ paruit; vt quæ nata, ea omnia denascantur: quamquam illa potiùs tunc viuere incepit vitam meliorem.

differentia vitæ iustorum mortis, liorem. *Melior* illi *dies mortis, die Natiuitatis. Pretiosa in conspectu* DEI *mors sanctorum omnium*: sed pretio quouis pretiosior mors MARIÆ. Nata vt ceteri mortales (culpam originis demo): sed non mortua more hominum ceterorum. Illis acerba corporis & animæ diuulsio: huius sine vllo sensu doloris animus corpus suum deseruit; quia deerat causa doloris, peccati labes per originis traducem transfusa. Reliquorum anima multis plerumque annis à corporis commercio separatur: huius anima creditur, vt ex Iuliano Hierosolymorum Patriarchâ Damascenus & alij tradunt, non vltra triduum corpore caruisse. ceteris morientibus horrendus humani generis hostis, vt accusator terribilis apparet: huic vel non apparuit, vt multi volunt; vel vt victus trepidansque apparuit, vt nonnullis legitur reuelatum. Corpora ceterorum cadauera fiunt, & in cineres rediguntur: MARIÆ, illæsum intactumque permansit. quis dubitet, nisi Antidicomarianita? hoc ille Rex propheta prædixerat: *non dabit* DEVS *sanctum suum videre corruptionem.* etsi namque de CHRISTO id præcipuè dictum, quadâ tamen consecutione ad MARIAM quoque pertinet, ex cuius purissimis sanguinibus CHRISTI corpus cõpaginatum. Arca, quam Moses fabricari iussit, compacta fuit ex lignis Zethim ne ei is putrefieri: & veram DEI VIVENTIS arcam; cuius caro eadem quæ CHRISTI caro, nam CHRISTVS portio corporis materni; quispiam ausit suspicari à vermibus corrosam, vel tabe solutam atque deformatam? absit, absit à nobis hic furor, procul à nostris mentibus tanta vesania. Intererat animus choris Beatorum, iacebat in sepulcro corpus expers sordium atque corruptionis: nec deerat aliud solidæ beatitudini, quàm quòd corpus nondum

Eccle. 7. 2. Psal. 115 15.

1. quia sine dolore,

2. quia tri duum dum taxat separatur, vide Canisium.

3. quia non fit ei ceteris dam apparuit, Maturinus, Bonfius, & plerique

4. quia corpus incorruptũ, vt probatur. Amadeus rapsd 8.

1. propheta, Psal. 15. 10.

2. figura,

3. ratio,

nondum beatum. tertio igitur ab obitu die, descendens anima, seque cælo demittens, domicilium suum lætanter subit, & diuinâ virtute animata caro resurgit, MARIAE resurrectio, & in corpore assumptio

Martianus Capella lib. 2. de nuptiis Philo. „ Continuoq; nouo solidantur membra vigore, corporeglo ryo ani-ma nouato
„ Et gracilenta perit macies, vis terrea cedit,
„ Æternumq; venit sine mortis legibus ævum.

O cohortes Angelicæ, quæ hanc animam beatam ad sepulcrum cælo delapsæ comitari meruistis, quibus tunc gaudiis, quantâ lætitiâ exsultastis? ô melos suauissimum musicum illud certatim cum iubilo ingeminantium;

Idem Martianus. „ Scande cæli templa VIRGO Obuiã angelis cantan-tes excipiunt.
„ Digna tanto fædere:
„ Te DEVS subire celsa
„ Poscit astra conditor

cæli, terræ, marisque. Te VIRGO sacratissima choreæ illæ astricæ, & orbium cælestium concentus consalutant: te cunctæ cælestis militiæ legiones circumvolitant: te tuus filius, ô pulcherrima felicissimaque matrum, præstolatur; obuius tibi procedit gratulabundus. Credo id studiosis tui Damasceno & Anselmo. nam idipsum nobis vnus ex maioribus tuis Salomon præsignificauit, non verbis tantùm, sed re ipsa quoque. dixerat; *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs adfluens, innixa super dilectum suum?* Idem venienti matri suę Bersabee, *assurrexit in occursum eius, adorauitq; eam, posituſq; est thronus matris eius; quæ sedit ad dextram eius.* plus quàm Salomõ CHRISTVS, sed plus etiam MARIA quàm Bersabee. Idem optabat Salomonis parens cùm caneret; *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ*, vt Nicephorus & Glycas aduerterunt. Quàm blandis & amorabundis verbis, tunc putemus à filio matrem inuitatam? Obuius NATVS beat. ad dextrã in summam calum deducam. Cant. 8. 5. 3. Reg. 2. 19. Psal. 131. 8. suauissimis verbis alloquitur

tatam? an dulcoratis illis amoris melle quibus ſponſam ſponſus in Cantico Canticorum excipit? *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amanâ, de vertice Sanir & Hermõ.* aptiſſima quidem iſta, & propria MARIÆ. *Libanus* candorem ſignificat D. Hieronymo & Ioſepho. *Sanir*, lucernam; *Hermon*, conſecratam dicatamque rem DEO; *Amana*, veritatem ſeu fidem, Iuſto Orgelitano & Theodoreto. MARIA caſtitate & innocentiâ tota niuea & candida fuit, lux clariſſima virtutis coram hominibus lucens; vtpote, *Stella ſplendida & matutina*, luciferum ro ſeum vincens, & pudicolorem auroram. *Mulier amicta ſole*, corpore glorificata & anima; *& luna ſub pedibus eius*, nulli amplius obnoxia viciſſitudini lætitiæ & mæſtitiæ. Quid reliquum? Veniat, *coronetur de capite Amanâ*, recipiat coronam diuinæ promiſſionis veritate ſibi debitam: recipiat illam, *de capite Amanâ*, præcipuam & excellentiſſimam. ſcitis enim, quod præcipuum & optimum cuiuſque rei, etiam in litteris diuinis vocabulo capitis ſignificari. ô qualis hæc corona? quanta beatitudo? Si cuiuis ſeruulo fideli DEVS ab æterno præparauit; *quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcendère*; quid credamus matri tali talẽ filium præparaſſe? dignius eius meritum reliquorum meritis hominum, ſanctior aliorum ſanctitate ſanctitas, plenior fuit gratiâ puris omnibus creaturis: nónne igitur ſtolida illa Lutheranorum capita, vel fateantur oportet iniuſtum & mendacem eſſe DEVM; (quod prorſus impium) vel MARIÆ gloriam, reliquorum gloriâ glorioſiorem, & beatitudinem aliorum beatitudine beatiorem, ſolo DEO inferiorem, ſecundam à filio, & quicquid DEVS non eſt, id inferius eâ. Nónne hoc

Cant. 4. 8.

Coronat coro-nâ BEATI-TVDI-NIS *ſum-ma vtpo-ſtulabant.*

Apoc. c. vlt. v. 16 Apoc. c. 12. v. 1.

Iſaia va Ieremiæ,

DEI in *ſtatu,*

Iſai. c. 64 v. 4. 1. Cor. 2. 9.

vnani-

vnanimiter contendunt Latini Patres, Ildephonsus, Bernardus, Fulbertus, Guarricus, Anselmus; Græci quoque Athanasius, Epiphanius, Andreas Cretensis de DEIPARA exponentes illud Dauidis; *Sententia Patrum vnanimis.*

Phil. 44. v. 10. *Astitit Regina* (hæc cælorum Regina) *à dextris tuis* (ô bone IESV) *in vestitu deaurato* (perfectæ caritatis stolâ) *circundata varietate*, reliquarum virtutum. Memoramini fœminæ Apocalypticæ: cui vt in locum suum euolaret, seque truculentis vastæ belluæ faucibus eriperet, datæ sunt alæ duæ aquilæ magnæ. quæ putatis istæ alæ? vna seriæ actionis, ardentis altera contemplationis. His alis Ecclesia proponit hodie beatam Virginem subuectam in cælum, *locum suum*; locum illi ab æterno præparatum, locum debitum. Nónne memi- Esther c. 5. 14. & 15. nistis de Estherâ legere; post triduanũ ieiunium: quod in lacrymis, luctu, cinere, sordibus transegerat; die tertio regalibus indutam vestimentis, & circũdatam gloriâ suâ ingressam ad Artaxerxem, assumptis secum duabus ancillis, vni tamen potissimùm innixam? Quis nescit Estheram DEIPARÆ typum fuisse? Hodie non ad Assuerum, hoc est, summum Principem, terrenum tamen; sed ad cæli terræque Principem atque Dominum: non ad *Artaxerxem* (id est lumẽ & gloriam Persarum) sed ad claram visionem æterni luminis illius, in quo solo posita beatitudo sempiterna, fuit euecta verior *Esthera*; occulta quidem & abscondita per humilitatem; sed nunc glorioſa & illustris per retributionem; duabus ancillulis comitata meritorum, actione & contemplatione; sed vni innixa, vt præstantiori & gratiori, illi quam Maria partem optimam delegit, mentis in DEVM eleuationi. ô sollicitior Martha! vtinam nostri sollicitudinem nunquam deponas! non vt pro nobis turbe- *Visio Apocalyptica.* *Figura Esther.* Itymologicis sunt D. Hieron.

Quid nobis inde expectandũ & metuendum.

beris aut angaris (nullus illic angori aut turbationi locus) sed vt nos hîc non turbemur erga plurima; vt nos non sollicitent hæc varia curarum. O nobilior Magdalenâ! vtinâ vnum illud, quod necessarium, animis nostris insculpas. Sedes, æternumque sedebis ad pedes Domini. Memento nunc Lazari fratris tui; Sodalium dico tuorum, qui vel infirmantur culpis quotidianis; vel (prô dolor) in peccatis cõsenescunt. Non te deterreat, quòd fœtent quatriduani. potens est filius tuus suscitare. Fratres tui sumus, licet mali; licet peccatis fœdi & farti. os tuum, caro tua, sanguis tuus sumus. obsecra filium, misereatur fratrum tuorum, filiorum tuorum, & proinde fratrum suorum. Scimus; *quòd pulcra sis mulier, dic* (obsecro) *quòd soror nostra sis, vt bene sit nobis propter te, & viuat anima nostra ob gratiam tui.* Parata est (SODALES) mater misericordiæ pro nobis intercedere, prompta nudare pectus, & vbera quæ suxit filio ostentare, manum vltricem extentam sustinere; vnum pro tot tantisque vicissim petit à nobis, vnum postulat se vt imitemur, vt quam virtutum reliquit hæreditatem eam capessamus. Castella scitis fundata supra petram Constantiæ, non arundines vento agitatæ. Marthæ sitis, operibus dediti misericordiæ. excipiatis DEVM, in pusillis & egenis, memores illius; *Qui susceperit vnum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Mariæ sitis auidi & insaturabiles audire verbum diuinum. Nam *qui ex* DEO *est, verba* DEI *audit*, & propterea multi non lubenter audiunt, quia ex DEO non multi sunt. Sitis diligentes orationi vacare, & sacras res meditari. Assumite, & noui Dædali vobis geminum, quod audiuistis, alarum remigium adnectite. *Eleuentur ad matris præceptum aquilæ, & in ar-*

Gen. 12. v. 13.

Matt. 18 v.

Iob. 39. v. 27.

in arduis ponant nidum ſuum. Solitarius ille *paſſer*
Pſal. 83. 3. DEI deliciæ CHRISTVS DOMINVS, *inuenit ſibi domum* MARIAM; & MARIA *turtur* (vni viro bene nupta, ſed nulli viro cognita) inuenit ſibi *nidum vbi ponat pullos ſuos*; vos ponat (SODALES) pullos ſuos in editis illis verticibus acceſſu arduis, *Libano* vitæ innocentiâ; *Sanir* exemplo & luce honeſtatis; & *Hermon*, ſanctitate intentionis, dicta, facta, cogitata omnia DEO dicantis aſcendite, enitimini, ſuperate alacriter hos colles: fixo firmiter veſtigio tenete: ne ut Siſyphi lapis ab ipſo reuoluti culmine decidatis. Quod ſi feceritis, ſpondeo, ſpondeo caris veſtris capitibus coronam *de capite Amanâ*. Nam certus & fidelis eſt DEVS, cui credatis opera veſtra. promiſit: fallere nequit, *veritas* ipſa nequit mentiri. præmium & coronam æternam bonis operibus promiſit; ſupplicia peccatis ſempiterna promiſit: ad illam nos perducat, citiſſimè; ab iſtis abducat longiſſimè DEVS OPT. MAX. qui viuit & regnat in ſæcula ſeculorum. AMEN.

Dicta LEODII, ∞ IↃ XCI.

XII.

IN EADEM FESTIVITATE.

PROPOSITVM.

Pulcra es, amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem; terribilis, vt castrorum acies ordinata.

CANT. CAP. VI. 3.

Exordiū.

ERGO fiduciaIiter (SODALES) cum pauperculâ viduâ in Gazophylacium encomiorum sacratissimæ Virginis DEI GENITRICIS æra minuta mittere, fretus eius humanitate incomparabili, quæ teporem hunc meum nó modò non respuit, sed respicit & feruori pietatis adscribit, & sterile ac inaquosum ingenij solum, *melioribus vino & lacte vberibus* liberalitatis & misericordiæ sic fęcundat, vt toties per ipsam de ipsâ dicenti, nec res verbis, nec rebus verba deficiant. Nunc ne huc illuc in incertum, vt cymbula in Oceano ventis agitata diuagetur oratio: artabo & circumscribam verbis sponsi diuini in Cantico Canticorum; PVLCRA ES AMICA MEA, SVAVIS ET DECORA SICVT HIERVSALEM, TERRIBILIS VT CASTRORVM ACIES ORDINATA. Siue Synagogam alloquitur, vt Paraphrastes Chaldæus & D. Gregorius expositêre; siue Catholicam Ecclesiam, vt Iusto Orgelitano, Bedæ, & Alcuino placuit; siue sacratissimam DEI MATREM, quod visum Honorio presbytero, Innocentio III. & Ruperto Tuitiensi; siue fidelem & DEO amabilem cuiusuis Christiani animam, vt Ambrosius, Theodoretus, & Philo Carpathius tradi-

Cant. 3. 3.

oés in hûc loeû, excepto Innoc. qui in ser. 2. de Assûption. & Honor. quiin sr GILLO

MARIAE, & Ambr. qui inferioris aetatis fuit. tradiderunt: mihi decretum, DVCE MARIA, per has omnes interpretationes decurrere, atque de singulis mellificij spiritualis aliquid delibare.

In primis si ad veterem Synagogam adspicias, quid quondam formosius? quid vel ad spectandum amænius, vel ad impugnandum formidabilius tabernaculis Israëlis, cùm igneâ collumnâ præcedente *per signa atque vexilla, & domos cognationum suarum, per gyrum tabernaculi fœderis castrametabatur?* videns Balaam exclamauit; *Quàm pulcra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit* DOMINVS. Erant armatorum innumera ferè millia, spoliis Aegyptiorum collucentia: ad nubeculæ motum ingens ista multitudo mouebatur: acierum dispositio admiratione dignissima traditur fuisse. fugiebant vndique hostes, & in ore gladij cadebant. Sed gloria & decor Israëlis penitus emarcuit, in fumũ euanuit; postquam Principes linguæ telis DOMINVM gloriæ crucifixerunt. custodes ciuitatis & murorum Romani, Israëlem deprehensum indagine & coronâ cinxerunt, percusserunt, qui quondam fuerat, populum DEI, vulnerauerunt, & partim occisione, partim captiuitate contriuerunt. *vt non memoretur nomen Israel vltrà.* liuor iste sanari, vulnus obduci, recidiuæ templi ruinæ, sicut olim ducibus Nehemiâ & Zorobabele, restaurari nũquam potuerunt. Ecce tibi statim de Synagogæ cineribus madidatis sanguine SALVATORIS Ecclesia DEI sponsa quemadmodum Phœnix emicuit, verè *pulcra & suauis & decora sicut Hierusalem.* In Hebræo legimus *pulcra vt Thirsah.* Thirsa seu Thersa; Regia Regum Israël ante Samariam; nominis etymo probatam & gratam, vel, vt Ambrosius

Num. 2. 2. Num. 24. 5. Num. 10. Ioseph. lib. 3. de antiq. c. 15. Cant 5. 7. Psal. 82. 5. atq. ita Pagnin. vertit.

1. expositio de Synagoga.

2. expositio de Ecclesia Catholicâ.

vertit; beneplacitam significat. *pulcra* igitur, vt beneplacita: scilicet in quâ SPONSO DEO bene cõplacuit. hinc omne sponsæ meritum, omnis eius formositas. Ideo Septuaginta vertunt ὡς εὐδοκία vt probatio, vt placẽtia. *decora*, quia *suauis*: amatori DEO *suauis*, quia *pulcra*: sed *pulcra*, quia *beneplacita*: demum *beneplacita* eo quòd *obediens*. Idcirco Thargum Chaldaicum *pulcram* dicit fuisse, quando voluntati DEI statuit obtẽperare. Verùm cur additur? *Decora sicut Hierusalem*. non vt terrena, sed vt cælestis Ecclesiæ triumphanti ab æterno præparata; vbi quicquid agit, DEO perfectissimè obedit: cuius imitatrix militans Ecclesia singulis diebus precatur, vt sicut in cælo sic & in terrâ diuina voluntas adimpleatur. libr. de Isaac. & 7. & lib. 1. de vir giib.

Vrbs beata Hierusalem
(canit Ecclesia cum B. Ambrosio)
Dicta PACIS visio

quòd ab eâ longissimè fugiant diuidiæ, dissidia, discordiæ, dissensiones. *decora* prorsus, in quâ nihil deforme, nihil coinquinatum; in quâ tot Hierarchiæ Mentium beatarum. Pariformiter Ecclesia militans *pulcra*, mundæ operationis integritate; *suauis*, melle mutuæ dilectionis; *decora*, subordinatione Hierarchicâ Prælatorum & subditorum; *formosa*, bonorum desideriorum flore; *dulcis*, prædicationis & sacræ scripturæ suauitate; *decora*, caritatis & misericordiæ ornamentis. Sequitur, *Terribilis vt castrorum acies ordinata*. certè talis dæmoni & peccato. quia DEVS in eâ pugnat, sicut olim in Israëlis exercitu; quia DEO militat auctorata CHRISTO nomine, lauacro, cruore. *acies ordinata*, legibus sacræ paginæ, sanctionibus Conciliorum, præceptis Pontificum sanctissimorum. *acies terribilis*, quia cincta duodecim Apostolorum

rum coronâ, munita cuneis Prophetarum, agminibus Confessorum stipata, Martyrum defensa exerçitu rubricato, & Angelorum fidis vallata
Matt. 16. 18. stationibus. quamobrẽ *aduersus eam portæ inferi nõ prævalebũt*. Quanti tyrãni & persecutores (ait Antistes Orgelitanus) vnà cum auctore suo diabolo, conati sunt Ecclesiæ * virtutẽ dirumpere & prævalere nullo modo potuerunt! Habet enim sancta Ecclesia castrorum aciem ordinatam, quando * imminente CHRISTO nec Martyres persecutio, nec Virgines carnalis delectatio, nec Misericordes cupiditas, nec Humiles temporalis gloriæ deuicit ambitio. Si talis in membris inferioribus & vilioribus Ecclesia; qualis in capite CHRISTO, qualis in collo MARIA? per illam quicquid in corpus reliquum virtutis aut boni defluxit. Solus DEVS nouit quàm pulcrum, quàm decorũ, quàm terribile hoc collum: nos rudi dumtaxat aliquâ delineatione possumus adumbrare, nempe lineamentis quæ sponsus ipse nobis expressit. quid ille? *collum tuum* (inquit) [a] *sicut monilia* (pulcrum certè) *Sonet vox tua* [b] *in auribus meis: vox enim tua dulcis*. (suaue igitur & melodum) [c] *vulnerasti me* (addit) *in vno crine colli tui. collum* [d] *tuum sicut turris eburnea*. decorum igitur: nam decus colli de rectitudine & lacteo candore pensandum. subdit, [e] *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium*. ergo terribile & persimile aciei ordinatæ. MARIA *pulcra* vt exoriens Aurora, vt Luna plena, vt Sol meridianus & innubis: Melle *suauior*, ipsâ dulcior dulcedine. *suauis* hominibus, angelis, DEO: sed ὡς εὐδοκία, vt ipsa Gratia; quâ quis gratus, acceptus, probatus efficitur: vt *gratiâ plena*. & cum quâ semper DOMINVS. Pulcris fastus adesse solet.

* for. legendum imitatum
* malle, imitatum
3 expositio de B. Virgine, confirmata.
a Cant. 2. 9.
b Cant. 2. 14.
c Cant. 4. 9.
d Cant. 7. 4
e Cant. 4.
1. loco Cantic.
2. & rationibus.
11.

se solet. formæ comes arrogantia; non in MARIA. si quæ pulcritudini comitatem admiscuêre audaciam accendunt improborum. MARIA corpore formosa, sed humilis; animo pulcrior, sed morum suaui comitate, nulli cõtemptibilis. inter illicium formæ & adfabilem morum facilitatem, ab omni tumore ac fastu remotam, nulla impudentiæ vel impudicitiæ cuiusquam rimula patebat. hîc constans formæ & pudicitię, humilitatis & maie-
III. stătis concordia raro miraculo fuit. Zeuxim Helenæ illius famosæ famosam ferunt imaginem, ad quinque puellarum spectandæ pulchritudinis exemplar depinxisse: sed æternus pictor & fictor totius vniuersitatis, nõ quinque formosarum dotes; sed quicquid in cunctis vnquam supernæ Sionis habitatoribus pulcritudinis & gratiæ fuit; totum illud in Genitrice suâ sacratissimâ congessit. ita pulcerrimam, suauissimam, maximè decoram, terribilem quoque simul contra hostiles im-
IIII. petus reddidit. Vehemẽs semper dissensio & præ-
„ lium atrocissimum Malitiæ cum Sapientiâ in- Sap. 7. 30,
„ terceſſit. quia *non est conuentio lucis ad tenebras, nec* 2. Cor. 6
„ CHRISTI *ad Belial.* Malitia mouet aciem vitio- 14.
rum duce superbiâ, peccati omnis radice: Virtutum agmen pro Sapientiâ pugnat, auspiciis Humilitatis. In vtero MARIÆ vera Sapientia carnem induit; MARIÆ DEVS humilitatem respexit. Humilitas aciem virtutũ in eâ sic ordinauit, vt nullus irruptioni vel irreptioni locũ præbeat aditus. *Or-* Cant. 2.
dinarat etiam *in eâ* sponsus *caritatẽ*, quę indissolu- 4.
bili texto, virtutes ceteras colligauit. Itaq. dubio procul ex toto, Malitiam vicit, postquâ in eâ plenitudo diuinitatis corporaliter habitauit. Quo-
„ niam (verbis vtar Innocentij tertij) vt vehemen- Ser. 1. de Assump.
„ ter opinor, ex tunc fomes peccati, languor naturæ, sti-

„ræ, ſtimulus carnis in eâ fuit non ſolùm ſopitus,
„ſed prorſus exſtinctus: vt de cetero non concupiſ-
„ceret caro aduerſus ſpiritum, ſed *plena gratiâ*, vi-
„tiis & dęmoniis terribilis appareret. Committere
non poſſum, quin vos participes eorum faciam,
quæ cortex aridus verborum ſed fœcundus ſen-
ſuum Hebręi ſermonis ſuppeditat. Salomonis
ſponſa dicitur AIVMAH CHANIDGALOTH, cuius
verbi radix DEGEL miras interpretationũ peperit
varietates, quia *rotunditatem*, *aciem*, vel *vexillum*
ſignificat: ſint etiam qui AIVMAH *vertibilem*, non
vt alij *terribilem* exponant, ad corporum rotun-
datorum naturã alludentes, quæ ſunt in omnem
partem apta moueri. Placuit itaque nonnullis ex-
plicare, *vertibilis vt rotunditas*; aliis cum Chaldai-
co Paraphraſte, qui de Iſraëlis exercitu capiunt,
terribilis vt caſtrorum acies cum vexillis; vulgatæ
autem verſionis auctori multo ſignificantiùs, *ter-
ribilis vt caſtrorum acies ordinata*, quod confirmat
magnum illud cõcilium Septuaginta Seniorum;
θάμβος ὡς τεταγμέναι, *terror vt ordinatæ*. nam
concretum pro abſtracto poſuêre, vt ſuperiùs abſ-
tractum pro concreto εὐδοκίαν pro ſuaui ſeu gra-
to. Peculiaris denique & ſingularis eſt verſio D.
Ambroſij; *terribilis, ſicut admiratio ordinata*. Quid
eligam? auidus ſum. nihil repudio. cũcta quæ lau-
dis aliquid habẽt, certum eſt in DEIPARAM opti-
mè quadrare. Quid admirabilius ordinatione
virtutum animi eius? quæ illic metatio caſtro-
rum? qui ordines acierum? qui concentus muſici
cum hac harmoge, cum hac ordinatione aptiſſi-
mâ queant comparari? In arce capitis ratio reſi-
dens, vt campiductor imperabat; inferiores illę
poteſtates, appetitus adminiſtrę, quibus cupiſci-
mus & iraſcimur, DOMINÆ iuſſis obediebant: nec

3. ex ve-
rsa verſio-
nibus &
ſignifica-
tione Hę-
braici ſer-
monis.

Oleaſt. in c. 1. & 2. Num.

Pagnino & Arias.

lib. de Iſaac. c. 7

1. verſio D. Amb. cur admi-
ratio ordi-
nata?

sensus rationi, nec lex membrorum legi mentis, nec mens aut ratio diuinæ voluntati renitebantur. In B. VIRGINIS animâ benedictâ cernere erat virtutum legiones omni telorum & armorum præsidio instructissimas. Iustitia contra iniquitatem. Temperantia contra luxuriam, Fortitudo contra ignauiam, Prudentia contra temeritatem, Constantia contra leuitatem, Spes contra desperationem, Humilitas contra superbiam, Caritas contra inuidiam, Pietas contra impietatem, Honestas contra turpitudinem, Fides contra incredulitatem, contra cuncta virtutes vitia stabant. Qualis exercitus, per vexillationes suas, ordines exactè seruans, diligens disciplinę militaris, equite in turmas, pedite in cohortes distributo, machinis æreis ætherei tonitrus & fulminis æmulis subsequentibus; perstrepente minaci tubarum, tibiarum, tympanorum murmure & clangore; cùm cuncta ferro, armis, flamulis, vexillis florent, & lux Martia spectantium oculos passim fulgore prępstringit: talis erat *Regina cælorum*, cùm hodierno die ab ouantibus choris Angelorum in cælum recepta, & à sanctâ Trinitate fuit coronata. Quàm formidabilem creditis visam dæmonũ turmis & inferni potestatibus? si ad MARIAM ausæ fuerunt accedere (quid nõ audeant, quæ in Saluatore nostro DEO & homine id ausæ?) si tamen accessêre, idcirco sanè vt experiantur, nunquid in eâ quid queant criminari. vt vidêre sic ordinatam, tot meritis cumulatâ, tot virtutibus circumseptam, tantâ stipatam gratiâ, tot diuinis carismatibus decoratam: vt, inquam, vidêre talem crediderim sic refugisse, quemadmodum solent viatores, qui improuisum anguem trisulcis faucibus, & diris minantem sibilis calcauêre. Nónne credibile est,

2. quare secundum vulgatam terribilis vt acies ordinata?

tunc

tunc antiquum draconem aufugisse clamãtem & eiulantem: castra DEI sunt hæc, fugiamus manipulares, fugiamus Israëlem. non est ista de numero ceterarum. ah! capiti meo timeo. ah! caput meum doleo. fors? an hæc de quâ mihi prædictũ:

Gen. 3. 15. *Ipsa cõteret caput tuum, tu insidiaberis calcaneo eius.* me miserum malè insidiabar, in foueam incidi, quam fodi. verè ipsa est, persentio. cõtriuit & conteret (metuo malè) caput meum. Hæc tum mendacij Pater, aut his non dissimilia, sed ipsi dissimillima, quia verissima, lamentabatur; quando MARIA regiones aëris penetrabat, quando cunctas Angelorum Hierarchias transcẽdebat. pòst etiam nónne terribilis semper cũctorum quos pessumdedit hæreticorum furoribus? vix à fidei sinceritate quisquam deuiauit, quin statim aliquam veritatis genitrici contumeliam irrogare conatus, non aliquod in illam telum intorserit: verùm in capita auctorum hastæ amentatæ reciderunt, & contumeliæ laudes sacratissimæ Virginis auxerunt. Illi

Psal. 82. 11. *disperierunt in Endor, facti sunt, vt stercus terræ.* à vanitate suarum adinuentionum sunt exterminati, & sicut sterquilinium supra terram in

ibid. 14. sordibus peccatorum computruerunt: *posuit illos* « DEVS *vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* « spiritus vertiginis illos corripuit & abripuit. MARIAE maiestas illos solo intuitu, sicut Aquilo festucas solet in orbem ventilãre, ex vno in alium

ibid. 16. & 17. actos errorẽ diiecit & disturbauit, *persecuta est illos* « *in tempestate suâ, & in irâ suâ turbauit eos, impleuit* « *facies eorum ignominiâ*, vt cogantur & ipsi fateri, verè *terribilem* hanc *actem ordinatam. terribilem*, quam hostes in prælio perhorrescant: sed *pulcram & decoram*, quam in hodiernæ festiuitatis pompâ & triumpho tot varicoloribus vexillis cõspicuam

3. cur iux. 14. Hebræa. terrib. sic. acies cũ vexil. in.

Sponsi

Sponſi famuli & amici lætis acclamationibus proſequantur. In hoc florum ſpiritalium Paradiſo pepla Caſtitatis albent, Obedientiæ flammea cærula florent, purpura Caritatis ardet, viridantia Spei ſigna rident, ſpecioſa Fidei & ceterarum virtutum ſigna renident, omni conchilio (vt ait Tertullianus) depreſſiora, omni patagio inauratiora, omni ſyrmate ſolutiora. ô aciem terribilem! ô aciem iucundam! ô aciem admirandam! ſed & ô *aciem vertibilem rotunditate*! doctam, quod in ſummis ſæpe periculis ſaluti fuit, in orbem pugnare; agilem in omnem formam & diſpoſitionem: quæ ad quoduis ſignum ex quadratâ in orbicularem, ex cuneo in rhombum, ex rectâ in ſinuoſam & obliquam commeat: quæ ad Ducis nutum declicationes, conuerſiones, mutationes, reuolutiones, circumflectiones, & alias omnes motiones militares alacriter explicet. Quæ laus tanti facienda, vt antiquus militarium rerũ ſcriptor Aenæas tradiderit, nihil aliud eſſe ſcientiam rei militaris, quàm ἐπιστήμην πολεμικῶν κινήσεων ſcientiam bellicarum motionum. Quin virtus iſta ſpiritualiter in DOMINA NOSTRA fuerit, nequit dubitari. præſtabat id ei, quâ cunctis ipſa qui puri homines præſtitit, obedientiæ perfectio. Eadem igitur & *vertibilis acies*, & *terribilis acies*, & *cum vexillis acies*, & *acies ordinata*. Quantâ lætitiâ (SODALES) perfunderetur, ſi has ſui Notas in hac Sodalitate ſuâ, his caſtris ſuis agnoſceret? ſi tot vexilla virtutum, ſi tantam propenſionem & facilitatem in executione præceptorum DEI, ſi vos ita dæmoni & peccato terribiles ac formidandos adſpiceret? *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. continua *nobis colluctatio*, aduerſus animi mortem peccatum, *aduerſus carnem & ſangui-*

Tertull. de pallio

4. aut ſecundũ Oeaſtrium: vertibilis rotunditate.

citat Ælian lib. de otdinib. milit inſtit. c. 3.

QVARTA explicatio propoſiti de animâ fideli.

à neceſſitate pugnæ & inſtruendę aciei.

Iob. 7. 1

Epheſ. 6 12.

sanguinem, aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia
Hierem. 9. 21. *nequitiæ in cælestibus.* Sæpe *mors per fenestras nostras* ingreditur (portas sensuum nostrorum) *ingreditur domos nostras disperdere paruulos de foris,*
Thren. 4. 3. & 52. *iuuenes de plateis.* Sæpe *oculus deprædatur animam in cunctis filiabus vrbis nostræ. venatione capiunt nos quasi auem inimici* nostri *gratis. Mũdus totus in maligno positus est, & aduersarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Angustiæ nos cingũt vndique, & imago mortis plurima oculis obuersatur. Quid faciemus inter has Symplegades deprehensi? quid? strennuè pugnabimus, in fide resistemus, MARIAM respiciemus, aciei in nobis instruendæ exemplum à MARIA sumemus. Quod enim Plato dixit & Æliano placuit, sic leges cõdendas, quasi semper ciuibus bellum immineat: cunctas enim vrbes iuge cũ inuicem bellum gerere, non à præcone quopiam vel fæciali; sed ab ipsâ rerum naturâ indictum: id de nobis multo verius & manifestius est; quibus, quia nullæ ab infestissimis quos antè memorabam hostibus induciæ conceduntur, in hoc bello, cuius nos originaria culpa necessitati subiecit, semper aduigilandum, & iugiter quasi pransis paratis in procinctu persistendum. Acies, Vegetio teste, si sapienter disponitur, plurimum iuuat: si imperitè, quamuis optimi bellatores, prauâ dispositione franguntur. Ordinis ergo cura inter præcipuas habenda nobis, vt nihil in nobis incertum, nihil confusum, nihil inordinatum; sed cuncta sint certa, explicata, suis locis distributa. Anteponendus rebus omnibus DEVS, tum DEI GENITRIX, pòst ceteri cælites, demum homines pro suo quisque gradu & dignitate. Nosipsos omni virtu-

Sap. c. 1.

lib. 3. de re milit. c. 14.

Theodoret. hic.

tum

tum genere ſepire debemus, vt omnem vitiis ianuam penitus præcludamus. Nam ſi (quod exempli cauſa dicam) continentiæ ſic ſtudeamus, vt HVMILITATEM negligamus; ſi ſic Miſericordiæ vacemus, vt linguæ frænādæ curam geramus nullam: ſi ſic Orationi & Meditationi nos demus, vt affectū in proximos non qualē decet retineamus, nec ei cū poſſumus ſubueniamus: nō eſt hæc acies bene ordinata, nō eſt hoſti terribilis, cui patet poſticulū per quod irrūpat. Omnes illi viæ præcludendæ rimæ, omnes obſtruēdæ, nequâ callidus irrepat. Obſeruationis regularū Sodalitatis veſtræ diligētior in poſterum vobis habēda ratio. Cur illæ collectæ, editæ, receptæ? an vt negligātur, & Dicis causâ? cur vos SODALES B. Virginis? nónne vt Sodalitatis legibus viuatis? Turpe vinci ab *ambactis & collegiis mechanicorū; quorum nullū tam abiectum aut vile, quin leges aliquas habeat, quibus vtatur, quaſque ſtudeat ſeruare illibatas. bono iure. murus iſte cuiuſuis congregationis; ſed murus calcem exigens Caritatis, quâ viuorum & valde diſſimilium lapidum congeries colligetur. Prudentiſſimè Rupertus id conſuluit, his verbis; Cùm contra malignos ſpiritus ſpiritalis certaminis aciem ponimus, ſummopere neceſſe, vt per caritatem ſemper vniti atque cōſtricti, nunquam interrupti per diſcordiā inueniamur. quia quamuis quælibet bona in nobis fuerint; ſi caritas deſit, per malum diſcordiæ locus aperitur in acie, vnde ad feriendos nos hoſtis valeat intrare. Hactenus Abbas Tuitienſis. Si (quæ noſtra fragilitas) inimicus zizaniæ propagator aliquam muri huius partem ſuis machinis aliquando deiecerit: ſi nos non probè intra munitiones recollectos, ſed extra palantes Babylonij illi murorum obſeſſores reper-

Epilogus. Beda hic.

*Sequor ſignifica tionē ill. quam explicat Gorop. Orig. li. 1. quid ait in Feſtū reclament.

lib 6. in Cant. Cāt. 5. 7

tos

tos pulsauerint, vulnerauerint, theristrum circumspectionis abstulerint, collo nostro torquem diuinæ gratiæ abripuerint; non animus propterea
Item 8 22. desponendus, ad *resinam* quæ est *in Galaad*, ad
Ioan. 5. Ecclesiæ sacramẽta; ad *probaticam* illam *piscinam*
Cant. 4. & 5 pœnitentiæ confugiendum: vnde sicut *greges ton-*
ver. 6. & *sarum lotti à lauacro ascendamus* rursus *pulcri*, rursus
10. *decori* sicut Hierusalem, rursus *terribiles* dæmoni *sicut acies ordinata*. Quoniam mysterio non vacat, quòd ter in Canticis hæc laus sponsæ tribuatur: bis quidem eodem cap. sexto, & iisdem verbis, *terribilis vt castrorum acies ordinata*. & iterum; *terribilis vt castrorum acies ordinata*. & tertiò alibi;
Cap. 7. 1 *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* cur primùm? quia mox vt baptismo abluti, talis est anima Christiani. cur secundò? quia qui post baptismum cecidit, secũdo pœnitentiæ lauacro talis iterum potest albicare. Vestrùm est aliquis, qui cùm dæmoni terribilis esset, à doloso palæstritâ fuit supplantatus? qui corruit, & hosti factus est deridiculum? estne hac in coronâ huiusmodi anima misella? nouit hostis, nouit illa, DEVS nouit: DEVS vt iudicet, hostis vt accuset, norit illa vt defleat. Siqua hîc talis es ô anima, CHRISTI pretioso redẽpta sanguine! per qui te redemit, surge quantocius, succingere iterum ad prælium. *reuertere*,
Cap. 6. in fin. *reuertere Sunamitis*, vt DEVS intueatur te. calcabis qui te calcat, ridebis illusorem, victa vinces, eversa resurges. tibi tantùm ne defueris. aciem rursus instrue. ah cadis iterum & profligaris! iterum instrue, quoties vincêris instrue, toties dispersæ copiæ colligendę, & acies instaurandæ, quoties ordines hostile agmen disturbarit. Tandem hæc *acies*
Cant. 7. in prin. *ordinata* felici sorte in *choros castrorum* commutabitur. Ea propter loco tandem tertio, & capite quidem

quidem ſeptimo ſponſus iterat; *Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* Tertio quidem, quia Ternarius perfectionis. Septimo verò capite, quia Septenarius Sabbati illius æterni eſt figura. Acies ſunt, quam diu pugnatur: partâ victoriâ, in *choros* acies, claſſica in pæanẽ, pugna in triumphum cõmutatur: Victores lætum canentes epinicium reuertuntur. Hodie nobis DOMINA præiuit, Regina cælorum nos in cælum aſſumpta præceſſit. fuerat iſthîc *acies ordinata*, nũc immortalitate coronata choris præeſt Beatorum. Nos etiam ſi in hac militiâ noſtra ſuccincti baltheo veritatis, induti loricâ iuſtitiæ, calceati Euãgelium pacis, ſpiritus gladio, ſcuto fidei, galeâ ſalutis armati, aciem peritè inſtruxerimus: ſi quẽ in prælio iuſſu Ducis veſtigio locũ preſſimus, nõ dereliquerimus: ſi mẽtis puritate dæmoniacas ſuggeſtiones à nobis reppulerimus: ſi verbi diuini rõphæâ dogmatis erratici cuneos perfregerimus: ſi bonorũ operũ luce prauos ſæculi mores corripientes ad virtutis iter perfugas retraxerimus: ſi deniq; in huiuſmodi cõflictu perſeuerãtes, MARIÆ conſtantiâ æmulabimur, & cũ militante Eccleſiâ ſtrenuè pugnauerimus; tãdem cũ Iſraële deſertũ iſtud emẽſi, in terrã promiſſionis in pacificã Hieruſalem, verè *pulcri, ſuaues, & decori ſicut Hieruſalẽ*, verè *terribiles vt acies caſtrorũ ordinata* perueniemus. At ſi diſſentire nobiſcũ ſtulti, ſi ſcindi in carnis vel peccati deſideria miſeri pergimus; nec ad DEI nos nutum promptos aut faciles exhibemus; prodimus hoſti aciẽ, certâ victoriâ cõcedimus, nullo planè negotio expugnabimur, miſerrimè truncabimur, cum perfidis atq. obſtinatis Iudæis in æternam diaboli captiuitatẽ, in crudeliſſimã ſeruitutẽ, in diriſſimos cruciatus abducemur: auertat DEVS O. M. AMEN.

Ita Theodoret. ad illa verba, *Reuertere*, &c.

Dicta Leodici, anno 1592.

XIII.

IN FESTO ASSVMPTIONIS.

PROPOSITVM.

Ego ſicut oliua fructifera in domo DEI.

PSALMO LI. VERS. X.

QVOTIESCVNQVE vagor oculis animi, non per Midæ, Tantali, vel Heſperidum; quos fabuloſis carminibus poëtæ plantarunt; non per Belidum illos penſiles hortos, quos audax hominum genus in aërem de terrâ, quaſi coloniam traduxit; non quæ Rex magnus potentiâ, ſed Fide maior immenſo ſumptu; animo pari Carpetanorum in finibus Arangeoſico felici ſolo, ſtupenti hortenſia mundo miracula exhibuit; magna cuncta & pretioſa, peritura tamen aliquando: ſed quoties mentis acie, impenſioreque cogitatione collibitum abdere me in diuinum hortum Marianum, [a] hortum irriguum, [b] hortum conclusum, [c] hortum voluptatis; in quem de cælo ſponſus crebrò ſolitus deſcendere; ad quem nunc ſpirituales apiculas frequẽtes vult adſcendere, vt floſculis variis aduolitantes mellilegium faciant, & plenas dulci nectare cellas animorum diſtendant. In hunc quotieſcunque rapior (SODALES & AVDITORES lectiſſimi) toties mihi, nullo manum vel os admouere prohibente, contingit in mediis vndis ſitire, & inter lautas dapſileſque menſas pulchralibus, & cupediis inſtructiſſimas, eſurire. Primùm admiratione defigor immotus; mox hilari & hiante lumine huc illuc feror, & totus felici quadam alucinatione ſic

Præfatio de horti Mariani laude. à collatione cæterorũ;

a Iſai. 58. 11.
b Cant. 4. 12.
c Ezech. 36. 35.

& à prioribus dotibus.

diſtineor, vt cui ſenſuum primas habenas laxem, nequeam definire. Nam auribus ſeſe ſupra cunctarum rerum oblectamina, quædam cantibus numeriſque lætificans ingerit omnium cõcinentia modorum; quam varij virtutum orbes interuallis imparibus coniuncti, ſed pro ratâ portione diſtinctis, æquali inæqualitate grauibus acuta & vtriſque media dulciſſimè temperantes, inſtar orbium cæleſtium, efficiunt. Qualis hîc netarum, hypatarum, lemmatum; qualis epitritorum, hemiolíorum, epogdoorum & quàm cõcinna commixtio? quàm ſincera, liquida, & eblandita hæc non aſſæ vocis aut purarum tibiarum tantùm, ſed flexanimi canoris & dulciſonæ fidis, fiſtularum & organicorum omnium conſociata permixtio, ſuauiſſimam adferens plenitudinis cunctiſonæ voluptatẽ? Nares interea par odoratus titillatio, & penetrans quidã ſpiritus demulcet. hîc *mons myrrhæ*, hîc *collis thuris*, hîc *cyprus cũ nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum & aloë*; hîc *balzamum aromatizans dat odorem*, hîc *ſtorax, galbanus & vngula*; hîc Arabum odores & Aſſyriorum & quicquid halitum ſpirat bonum, *Auſtro perflante ſuper omnia aromata* hortulum vaporat. Verũ mox vt incepi hanc ſuauitatem libare, retrahor aliò. Speculatores iſti vicem ſuam flagitant. quin attendis, inquiunt, ordinem, diſpoſitiones, cultum, nitelam, copias, colorem ſemitarum, ſepium, areolarum, puluillorum, fontium, arborum, florum plantularum? digniora hæc conſideratione: ſe quidem tot tantis auidè contuendis non ſufficere. Itaque conſentio, permitto fruantur obiecto ſuo. Sed miſelli, hærent in limine, caligant, ſcintillantq. & fulgore viuido colorum perſtringuntur. Vbi ſe confirmarunt, & euicêre; nitores & pigmenta

Cicer. in ſom. Scipion. & Macrob. in commenta.

Marcianus Capella lib. de Muſicâ.

Odoratus,

ex Cantic. 4. & Ezech. 24.

& oculorum, quâ ab arte,

quâ à natura,

pigmenta multiplicia conantur irretorti aſpicere fruſtra. nam oberrant, quid primum, quid proximum? Smaragdus herbarũ, vel aurum inuitat calthularum? aliunde ſe ingerit ebur liliorum. huc inclinentur? aliò rapit cæleſte cærulum violarum. huic inſiſtant? natiua roſarum purpura, & radiantes flammæ tuliparum, *& Tyrias imitata papauera luces*, abducunt. neque ſegnius irritant animum arbores virentes, enodes, proceræ, omnes vmbrâ iucundæ vel fœtu fœcundæ. cerne cypreſſum montis Sion, vide palmam Gaditanam, aſpice platanum iuxta aquas, intuere ramos expandentem terebinthum, oculis luſtra peſtanis meliora roſaria Hierichuntina, metire viſu celſas Libani cedros, ficus, amygdalos, vites, oleas, & cetera ſiluarum emolumenta & oblectationes, quas alit aquæductus, & trames immenſus de perenni *fluuio rigans hortum plãtationum, & inebrians partum eius.* Næ demens ego, qui tam multa, varia, grandia complector; quorum vix vnum queo ſtringere! Vnica deligitur arbor, de quâ quàm volupe ſit tam conducat audire. huic vni, ſicut hederæ ſolent imbecillæ, adhæreſcat & adrepat oratio.

florum, & arborũ,

Et Ezechiel. c. 24.

ex quibus vna deligitur,

Quam igitur deligemus? quæ in proximo & ſollemnitati accommodatiſſima eſt, OLEAM? placet optio, ſi præſtantiam compares, nulli ſit inferior arborum: ſi quicquid in eâ laudabile perpendas, cuncta Reginæ cælorum conueniunt; cuncta nobis, ſi ſaluté amamus, vt quæ maximè ſunt neceſſaria. Dicendorum omnium breuem habetis ſummam. etenim nunc vnum nobis opus intactæ VIRGINIS triumphum pro modulo noſtro celebrare, ac

OLEA; *quæ præſtare cæteris arboribus & apti ſſe ſcripturis* MARIA; *& eius nomini neceſſaria imitationem probatur:* (Sine quæ dicendorum.)

Horat. lib. 1. od. 36. „ Vndique decerptæ frondi præponere oliuam.

ex omni disciplinarum genere, Nec verò primi hunc oleæ ſiluarum deferimus principatum: nec anxiè laborãdum vt perſuadeamus. Poſſumus id cunctis philoſophorum vel ſapientum ſcholis iudicibus obtinere, Barbaris, Græcis, Iudæis, Chriſtianis. Non detrecto coniectores, non poëtas, non philologos, non cæleſtis ſapientiæ candidatos. Adſint qui volent, confideant, audiant, in ſuffragia mittantur, vel alienis iudicibus, tanta veritati fiducia, conſiſtam, & causâ vincam. Cur verear priſcam illam *Diuinationem*, ſiue ex oſtentariis Tuſcorum, ſiue onirocriticis Aſianorum? labor fortè me manet aliquis, ſed non irritus: olympionicarum ſpe recreat oleagina corona. Ab Arriano memini proditum, cùm Alexander Magnus Sogdianorum rebellionem pararet vleiſci, & apud Oxum metaretur, nõ procul ab eius tabernaculo fontem oliui prorupiſſe; mirantique vatem Ariſtandrum reſpondiſſe, fonte iſto laborem magnum, ſed ſudoris glorioſam mercedem victoriam repromitti. Quod quæſo certamen palæſtritarum Græciæ, vel quæ Pellæi iuuenis in Barbaros prælia, cum CHRISTI Domini agone, & pugnâ cruentiſſimâ aduersùs Zabûlum poterit componi? hanc nobis hæreditate pugnam, huius belli neceſſitatem tranſmiſit, cum certâ, ſi viri ſumus, victoriæ fiducià. Hoc illud oleum portendit, quod de meritoria trans Tiberim tabernâ Auguſto Cæſare, ſpontanei fontis ſcaturigo per totum effudit diem; ſignificans miſericordiæ fontem de hac *olei* matre tunc naſciturum Patria ſpondet Daldianus ſenex, diligentiſſimus ſomnia explicandi, ſcribit OLEAM in ſomnis viſam, ſignificare mulierem, certamen, principatum, & libertatem: ſi verò florens appareat, vel maturo belloque turgens fructu, tunc copiam

partim vanarũ, vt

1. coniectorũ. per

oſtentaria, &

per inſomnia.

lib. 7. de rebus geſt. Alexand.

Oroſius lib. 6. hiſtor. c. 20.

Artemidorus lib. 1. de ſomn. inscript. cap.

rerum

rerum omnium polliceri. Quid OLEA NOSTRA? nónne mulier, athletę mater inuicti, mulier à dracone impugnata; ſed victrix, ſed Angelorum hominumque Regina, principium & fiducia victoriæ, principatus, & libertatis humanæ?

Cur etiam Ægyptios metuam Iudices; vel Aſſyrios, vel Chaldæos? Nilotici totam ſuam ſapientiam triplici librorum genere complexi, *Epiſtolographico*, *Hierogrammatico*, & *Hieroglyphico*. primo, de rebus communibus & prophanis; ſecundo, de pertinentibus ad res ſacras; tertio, de ipſis ſacris & quaſi Sacramentis ſapientiæ ſuæ commentabantur. Iſtius Hieroglyphicæ rurſus vna pars *Kyriologica*, quâ quædam vulgaria; altera *Symbolica*, quâ quæ altiora & arcaniora continebantur. Hæc flos illius diſciplinæ, & medulla: in hac OLEÆ ramus, ſolus *Pacem*; addito cũ Caduceo, *Felicitatẽ* ſignificabat. licet cernere quibuſdã numiſmatibus Antonini Pij hoc ſymbolum expreſſum, ſæculi Felicitati denotandæ. Confirmat philoſophiæ melioris auctoritas confirmant ſacræ ſcripturæ ſymbola ſacratiora. *Quercus*, duritiem & pertinaciam mẽtis ſignificat: inſeras eam in *oleæ* ſcrobem, confeſtim marceſcet. Nulla vis iracundiæ tam effera, nullum tam inueteratum odium; quin, ſi in Deiparæ ſinum recondatur, confeſtim emori & euaneſcere videamus. Ferrum, belli, cædiumque inſtrumentum, duriſſimo temperatum aciario, ſi ſæpe multumque probato immergas oleo, molleſcet & remiſſo rigore ad forandum ſecandumque acies inepta reddetur: ſimili modo B. Virgo contentioſos & diros illorum animos qui cũctis terribiles fenum in cornu gerunt, prorſus retundere ſolet & cicurare. Locuples teſtis B. Ioannes Clymacus ſcripſit, vtrem oleo repletum, quamuis ſæ-

2. *Aegyptiorum.*

Clemẽs Alex. li. 5. ſtrom.

ex Hieroglyphicis.

Pierius in Hiero glyp. lib. 35.

vbi, *oleæ*, ſignum *Pacis* & *Felicitatis*;

nobis quoque oleæ noſtræ *Mariæ*.

Gratia ſeu de itę vacuitate.

uo & procelloſo iniectum mari, fluctus componere, tumida placare æquora, cælum diemque cæcâ tempeſtatis nocte conuoluta euoluere, & ereptis periculo nauigantibus reddere. Nec foret mihi difficile id exemplo quodam ex venerabilis Bedę Anglicanâ hiſtoriâ petito cõprobare. Quod fretum quis Euripus, tot motus, tantas, tam varias recipit agitationes vndarum, quãtos irati animus habet fluctus minarum, quantos æſtus mouet & perturbationes cogitationum? ad hunc ergo mentis tumorem deprimendum, furoremque compeſcendum, & animos vindictæ cupiditate, velut pernici rabie raptatos, ſedandos, tranquillandoſque affero longè promptiorem, longeque efficaciorem MARIÆ virtutem eſſe; cuius *olei* vel vna guttula de torrẽte miſericordiæ eius defluens, ad id momento perficiendum ſit ſuffectura. Paçis enim conſumationem genuit, cùm genuit eum qui ſummis ima conciliauit, Mediator Dei & hominum factus. Hanc pacem ſacræ litteræ *oleæ ramo* ſignificarunt. Coruo ſimilis Eua fuit ex arcâ emiſſo, cùm mortuorum, non viuẽtium mater futura, vt ille, cadaueribus adhæſit. Quid aliud mortui gratiæ dæmones, quàm cadauera? Deus Optim. Max. volens partiariorum Luciferi lapſu vacuatas, nouis de gente nouâ quam crearat incolis implere ſedes; ex arcâ, ſinu illo omnipotentiæ ſuæ, columbam emiſit Dominam noſtram; animal humile, mundum, fidum in reuolando; cuius cor & animus non in amaritudinis felle, quo prorſus caruit, ſed in manſuetudinis, quo planè plena, melle ſitum norat. hanc emiſit, cùm libertati arbitrij ſui permiſit; quo præclare vſa ramum pallentis oliuæ retulit, Filium vnigenitum, cuius in Natali Pax bonæ voluntatis hominibus

De hiſt. Angl. li. 3 c. 14.

Gene. 8. 6.

denun-

denunciata. Hunc ore ramum accepit, cùm dixit; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: Rettulit Noëmo, generis humani restauratori Deo; quãdo de castissimo virginali enixa *Saluatorem* nostrum; qui, (cedat titulo, quem per iniuriam occupauit Berecynthius) qui solus (inquam) potest dicere, se gymnasij florem, & olei decus fuisse. Orientalibus alia philosophandi ratio placuit, eaque duplex; vna per *Numerorum* exactum calculum; altera per siderũ suspectum. Arithmetica ad calculum reductio duplex, rursus. Prior, ex solis litteris numeralibus, victorias, prosperitatemque futuram de summæ exhibitæ magnitudine præsagiebat. Posterior non litterarum valorem, sed quot in vocabulo litteræ forent, attendebat. Vtraque ratio nimis quàm curiosa & superstitiosa fuit. Non tamen tam putidè diligentes arbitros reformidarim. Stemus, agedum coram illis. *Oleum* sume, vel *oliuam*. litteras percurre. prior illa, ceterarum vocatrix, numerus non numerus, nihil ipsa per se valet, sed aliis adiuncta, vel in immensum aliarum loquelariter per denarios procedens auget potestatem. CHRISTI Domini caput est Deus, à diuinitate dignitas & perfectio humanitatis dependet, & hæc non nisi in illius hypostasi subsistit. *Oliua* quoque nostra, genuit quidem *oleum* nostrum: sed quid sine oleo hæc oliua perfectionis obtineret? vt appareat hic locum esse acuto illi philosophi dicto; oleum ex oliuâ fluere, sed tamẽ olei oliuam egere condimento. Adiunge IESVM MARIÆ; qualis summa consurget potẽtiæ & dignitatis? Sequuntur quatuor litteræ numerales; quarum 1. prima, numerorum (vt ait Minæus) sola seminarium, sola mensura, & incrementorum causa, staruisque detri-

Luc. 1. 38.

apud Catull. in Gallisbo. De hist. Angl. li. 3 c. 14.

Orientalium quorum id probem; tum calculatione Numeriorũ,

Gene. 8. 6.

Arist. 2. Rhet.

lib. 7. fu de: Anthm.

» detrimentorum; ſola quoque perpetua. Neque
» enim quæ eſt ante exſtantia, & quæ poſt abſumta
» non abſconditur, poteſt non eſſe perpetua. Qua-
» re ſolitam Monadem Iouem nuncupari, quòd ſit
» idem caput ac pater Deorum. Nobis Chriſtianis conſtat numerum vnitatis ſacrum eſſe & Deo dicatum; cui perfecta vnitas naturæ. *Oliua* quoque noſtra *Verbi* mater eſt; quod vnũ cum *Patre*, & per quod omnia facta ſunt. Verè vnũ illud, quod ſolũ nobis neceſſarium. In quo cum vnitate perſonæ, perfectus naturarum binio, & proinde pluratiui quoque numeri & multiplicationis exempla inuenitur. Conſequitur hanc, v. quinionis nota; cuius in numerando vis maxima, & in ſignificando myſteria præcipua. Ex hoc conflantur reliqui reliquarum numeri litterarum, quinquagenarius, & millenarius. Illum denotat L. hunc M. Quinquagenarium etiam ſacræ litteræ gaudij, quietis, pacis, & condonationis ſymbolum eſſe manifeſtant. Quæ omnia *olei* & *oliuæ* propria mox oſtendentur. Millenarium, perfectionis & plenitudi-
» nis notam probat B. Auguſtinus; quia reddit de-
» narij ſolidum quadratum. decem quippe, decies
» centum, figuram quadratam ſed planam ducunt, quæ ſurgit in altitudinem & ſolida fit, quando rurſus centum decies multiplicantur. In IESV ſaluifico nomine S, millenarium ſignat; quis enim neſcit initiò ∽ iacens huius numeri notam, paullatim in M migraſſe? quis queat inficiari Dominum noſtrum perfectionis totius & normam eſſe & compendium? MARIÆ prima littera; nónne teſtis in ipsâ quoque, quantam pura creatura poteſt capere, plenitudinem dignitatis & præſtantiæ fuiſſe?

Philo li. de legib. ſpecial. & paſſim. Auguſtin. Amb. & ect.

vide Auguſt. de verb. Domini. ſer. 26.

Aug. ep. 119. ad Ianuar. c. 15. & ſeq. Origen. ho. 5 in Numer. & Hſych. in Leui.

libr. de ciuit. dei c. 7 & in pſalm. 104.

Sed placeat fortaſſis ad poſterius me tranſire ratio-

ratiociniũ. In hoc, quod dico, clariùs adhuc eluceret. Inirem coram iſtis Numerorum arenariis numerum quem fundit *oleum* qui manat ex *oliuâ*; oſtenderem eundem nobis ſuggeri his ſacris nominibus, IESVS & MARIA. excurreré in laudes Numeri, quẽ quiuis iam animaduertit eſſe QVINARIVM. dicerem Deum; qui cuncta vt in ponderе & menſurâ, ſic & in numero fecit; magnam illius in maximis quibuſque rebus rationem habuiſſe, cùm eius in illis clariſſima reliquit veſtigia. Ex Pythagoræorum & Platonicorum placitis Macrobius ſcribit vltra ceteras eminentis potentiæ proprietates, hanc illi competere, quòd ſolus omnia quæ ſunt, quæque videntur eſſe, complectatur. Eſſe autem (dicit) intelligibilia; videri eſſe, corporalia omnia. Hunc ergo numerum ſimul omnia ſupera & ſubiecta deſignare contendit. quicquid enim eſt vel videtur eſſe, id aut Deum eſſe ſummum; aut mẽtem ex Deo natam, in quâ rerum omnium ſpecies continentur; aut mundi animam, quæ ſit fons omnium animarum; aut cæleſtem aliquam, aut terrenam naturam: & ſic concludit quinarium rerum omnium numerum impleri. Omittam iſtam de naturâ rerum petitam probationem, alias quoque multas; quas Irenæus fuſiſſimè ſubminiſtrauit: Poſſum id ex Arithmeticâ ſupputatione elementariâ apertiùs deducere. Adſcendant cogitatione in *cælum*. *cælo* ipſi, hic numerus. Sidera conſpicis? ex quinario *ſidus* conflatur. Quare (docet Orus Apollo) ſtellæ notâ Ægyptij quinionem indicabãt. *Iouem*, *Solem*, *Lunam* ſine hoc numero quis Aſtronomus vnquam inuenit? A cælo deſcende ad elementa. quid igne agilius? quid terrâ ſtabilius? quid ſiue aquâ ſiue aëre in commune vtibilius? *Ignis* & *terra* nónne

& dignitate QVINARIE.

lib. 7. in ſomn. Scipion.

Irenæus lib. 2. c. 42.

quinarij? *aquam laudas* aut *aërem*? quinarium laudas. *Ignem* & *aquam* qui vetabant, omnium vsum ac vitam ipsam adimere putabant. Quid auro pretiosius vel gemmis? quid ludis, horto, flore iucundius? quid habitaculo & alimentis magis necessarium? *gemmæ* & *aurum* appendantur, quinario æstimabuntur. in *ludis*, *horto*, *flore* quinarius recreabit. *domus*, *sedes*, *mensa*, *potus*, *cibus* & horum præcipua *panis*, *oleum*, *vinum*, *pomum*, *herba* in eundem numerum concurrunt. Sine quo nec *miles vicit*, nec *nauim nauta regat*; nec *pacem* ames aut petas. ipsum *nihil* eo carere non potest. quinarius *totum* componit, *omnia parit*, *tenet*, ac *fouet*. Quin etiam, quorum hæc causa tam retuli multa, in hoc numero, MARIA, *mater beata*, *Virgo casta*: in hoc numero eius *natus* IESVS, *panis vitæ*, *ianua cæli*, *salus mundi*, *agnus Dei*, *oleum* miserationis conspirant. Te ipsum inspice, si *oliua* es, si *oleum* fundis; IESVM & MARIAM in hoc abaculo imitaris. *ramus bonus oleæ bonæ*. per quinarium *ætas* tua decurrit: quinarius *vitam* tuam continet. Quinque scaturiginibus SALVATOR *oleum* in *cruce* misericordiæ per cunctas hominum generationes perpetuò manaturum diffudit: totidem tibi sensus, totidem proximo tuo. Sapiens ille Iudæus Philo, docuit hunc numerum, in mysticis sacræ scripturæ, sensuum numerum censeri. cur putas idem sensuum numerus & olei & Christi vulnerum? an quia sicut per omnes sensus peccatis sauciamur, sic singulis remedia ex vulnerum sacrorum thesauro per opera misericordiæ in proximos mutuanda? Vesti nudum, sana læsum; *tactu* profuisti. caue ne cui prauo officias exemplo, bonis moribus præluce; *visum* iuuisti. admone, & verbis induc ad meliora; *aurem* sanasti. lauda, vel excusa

Et *morbi fallo*, & *furax olim*.

libr. de plantat. Noe, & lib. 3. de Mose.

cusa (quod potes) absentem; bonus vt odor spiraret feciſti, & *naris* malæ medicinam. Sitit? pota. esurit? pasce. *gustu* ille remedium hausit: suaui oleo palatũ eius tu imbuisti. Valentinianos merito D. Irenæus reprehendit, quòd litterarum apices & numeros ad vaniſſima quædam deliria deriuarent. planè meritò. Nec minùs prudenter aut piè D. Augustinus commẽdat numerorũ diſquisitiones, quibus illi ad Dei laudem & morum instructionem ſine ſuperſtitione traducuntur. Hoc fecimus, vel facere conati ſumus. Quãto melior, certiorque hic abacus numeris Babyloniorum? Horum altera diſciplina, quæ cælorum astricas choreas, & volantis mundi repoſta ſuſpicit, facilè nobis manus dabit: vt quõdam ſapientiſſimi Perſarum Reges dedère veritati, visâ nouâ ſtellâ, quam ex Iacob orituram vnus maiorum prædixerat; quamque tot annis poſtea videntes adoraturi Ieroſolymam venerunt. Idem illi non facerent, ſi mentibus illorum lux illa adfulſiſſet ſtellæ de ſtellâ natæ? Eadem *ſtella*, quæ *oliua*: ſed qualis *oliua*, talis pacifica ſtella: non quales ſtellæ cincinnatæ, quæ bella, horrida bella, quæ obſcænam famem, quæ funera & ardẽtes ſine fine rogos comminantur, & ſubitos tumultus,

tũ cæleſtis aſtronomiæ obſeruatione, peritia, ex ſcripturis.

Numer. 24. v. 17.

Matt. 2.

& ipſorũ horoſcopus.

„ Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma.

Manil. lib. 1.

Sed qualis Aſtræa Virgo, ſiderum decus; quæ ſæui Leonis iras & flammantis Caniculæ furores diſſipat, & fertilis auctumni copias mortalibus exortu adduçit ſuo: quæ, vt Aſtrologi iſti ferunt, præeſt illorum genituræ, quibus aruorum & ruris colendi ſtudium, quibus munditiæ, cultus, & artes decoræ ſunt curæ. Aſcendit in cælum MARIA hoc eodem, quo Virginis quod vocant aſtrum exoritur, tempore. Nónne cùm mentibus veſtris

Manil. lib. 5.

(SODA-

(SODALES) hoc est mundi minoris in cælo, deuotionis eius incipit lumen micare, cessat canicula liuoris rabire, cessat Nemeæus leo irâ flammare; & vnus incipit de messe virtutum cogitare, de plantatione alius amœniore, vt succisis vitiorum hurticis ac lappis,

» Ipse colat nitidis gemmâtem floribus hortum,
» Conserat, & veris depingat prata figuris?

» Nihil igitur causæ subest, cur vel astrologos, vel Numerarios vel alios Barbaricos Cõiectores à iudicum subsellijs depellã Sed nec Græcos illos vetustiores qui Mythologiis omnia velabant decreta disciplinæ suæ; quos Orphicos ab auctore primo vocatos accepimus. Apud hos occurrit famosum Iouis & Consentiûm iudicium; quo contendentibus Neptuno & Mineruæ, quis oppido, artium matri nomen inderet, sancitum: vt qui maius in humanum genus beneficium contulisset, is victor censeretur. Neptunũ ferunt terram tridente percussisse, & aquarum copiosam scaturiginem prorupisse; Palladem hastæ cuspide leuiter solum pupugisse, & canẽtem è terrâ, bacciscq. onustã prodiisse oliuam. Quare abiudicatam patruo, & sapientiæ præsidi causam adiudicatam. hinc illi sacram oleagineam coronam. Nónne magna hæc oleæ commendatio, in talium confessu, quos ipsi deorum præcipuos putabant, & electos vocabant, vtiliorem elemento iudicari, sine quo vitam ducere non possumus? Sit fabula. fabula certè declarat quanti frondem hanc Orphici fecerũt. Quid? quòd Athenæ, Atticæ, à Pacis illâ Deâ nomen dicuntur accepisse? quam hoc non alienum â nobis! Oliua Mariana oleum peperit. vt ab oliuâ hæc Sodalitas, Mariana Sodalitas dicitur & erit, quamdiu Pacis vinculo manebit firmiter colliga-

4. Græcorum Orphicorum.

Pausan. libr. 2. Varro, Virg. & alij.

Tertul. libr. de coronâ milit. c. 11.

ta:

ta: sic ab eius oleo commune cum Ecclesiâ totâ nomen sortita fuit, quo vocatur Christiana. Cùm Christiani audimus, vncti audimus: non à sæuo nuncupati pistricum & menarum domino, falsorum rege gurgitum, & tremebundi motatore soli, non ab illâ patrimâ virgine ne virgine, petulanti parricidâ & amoris incæsti cõtaminatione pollutâ; sed à Patris æterni Sapientiâ, quam mundo peperit *Virgo virginum*; cuius hoc beneficio nomen accepimus, & ipso oliui nomine ad misericordiam cooptamur. Orphicis in Græciâ melius genus philosophorum succesſit, qui missis istis vanitatibus, serio per Mathesim, & Physiologiam, verum scrutari cœperũt. Ex Mathematicis, Geometria solidior semper visa. huic principia, punctum, & linea, & quæ ex his deducuntur. quod monas Arithmetico, id Geometræ punctum, vel nota. vt sine rectâ lineâ, Circulus; sic sine puncto recta duci artificiosè nequit. quare vt Monas numerorum omnium, sic punctum linearum, superficierum, & corporum parens & basis firmissima. Quid istud Punctum nisi *oleum* quod de MARIA natum; CHRISTVS Deus, per quem esse cuncta cęperunt? Aspice & venerare hoc punctum, expers principij, expers finis: quod nec diuidi, nec corrumpi, nec solui potest. vt nihil in lineâ vel superficie, vel corpore designes, vbi nõ confestim punctum possit designari: sic nihil in hoc orbe toto reperiatur, vbi non diuinę potentiæ & præsentiæ vestigium aliquod emineat. Tale pũctum oleum Marianum, quod se per omnia diffundat. Inspice hoc oleum omni speculo politius, omni fonte limpidius; omni puluisculo Geometrico certius: quod hactenus efficere nulli vel demõstrare Mathematici potuerunt; en tibi & certum & expositum

Ambr. lib. 4. cõ. in gent.

Partim veram, vt

1. Mathesis.

tum oculis apparebit; quadratæ figurę circularem videbis æqualem. Diuinitas CHRISTI, circulus est, nec principium habet, nec finem; nihil eâ capacius, nihil perfectius. Quadrata corpora firmissima stabilissimaque sunt, quare cælestem illam ciuitatem Ioannes [a] *in quadro positam* affirmat, & *lapidibus quadris ædificare* [b] prophetis idem quod firmiter ædificare. cumque [c] CHRISTVS sit *lapis angularis, summus, probatus, electus, pretiosus*, & adeò firmus, vt ex quo semel *in caput* [d] *anguli factus, vtraq; fecit vnum*, nunquam hæc colligatio potuerit vel poterit dissolui; planè meritò humanam CHRISTI naturam cõparabimus figuræ quadratæ, quia secundùm eam *mediator* [e] DEI *& hominum factus homo* CHRISTVS IESVS. Deinde cùm diuinus iste Helizeus, se sic coangustarit, vt corpus virile corpusculo infantili coëxtẽderet; habemus iam proportione quadam circulum quadro æqualem, & infinitum finito; Deum in puero, & puerum in Deo Eant, & oleum operamq; ludant, qui aliam circuli quadraturam quærunt. Mihi certum, non aliam, nec extra oliuæ nostræ sacraria inuestigare. Vbi præterea perfectæ figuræ orbicularis cũ quadratâ contactum, in puncto videmus, hoc est, in oleo hypostasis diuinæ vnitam humanitati diuinitatem. Nouum non est, aut meum, quod assero, commentum. Hebræi hoc olim censuerunt, non in superstitiosâ & meritò damnatâ (quam recentiores excogitarunt, iter ad Goëtiam sternentem) *Kabalâ*; sed in alterâ quam à maioribus per manus acceperât, quam Philo Iudæus; & Patrum Catholicorum multi excoluerũt, Symbolicâ seu Allegoricâ ratione explicandi. In hac ergo tractatione receptum, oleo diuinitatem significari. primò quia oleum ardet, & ardendo clarum lumen præbet;

a Apoc. 21. 16.
b Esai. 9. 10. Ezech. 40. v. 42 & Amos 5. 11.
c Ephes. 2. 20. 1. Pet. 2. 6.
d Act. 4. & Ephes. 2. 14
e 1. Tim. 2. 5.

2. Allegoricæ explicationes Hebræorum

Fran. Georg. problem. tom. 6. sect. 7.

præbet; Deus verò creaturarum corda cùm inflammat, illuminat, ita vt videre cetera & ipsam quoq. tandem diuinitatem queant. Deinde, quia sicut oleum aliis liquoribus non commiscetur, sed peruadit, & pinguedine suâ reddit vnctiores; sic essentiis creaturarum diuina substantia non confunditur quando iungitur, sed simplicissima permanet, it per omnia tamen, & implet, quodq; summi boni proprium est, lautissimè se diffundit, & à capite nostro, quod CHRISTVS est, in oram vestimenti eius, in extima quæque & ima Ecclesiæ membra demanat. Caput quidem nostrum
Psal. 44. 8. CHRISTVM credimus hoc oleo inunctum præ cunctis participibus suis, ab huius tamen olei facie iugum seruitutis nostræ computruisse. Vbi enim
Isai. c. 10 v. 27. hoc Esaias prædixerat, illic pro *olei facie* Ionathas Paraphrastes Chaldæus interpretatur, MINKADAM MESCHIACH. *à facie Christi.*

Pergamus nunc ad arcana Physices, cuius placita, quia, si vera sunt, vt sunt, & verum vero nequit repugnare; cum Catholicâ Theologiâ certè consentiunt: & idcirco, vt res feret, simul de naturalis & diuinæ sapientiæ mysteriis in *oliuâ* nostrâ, vt vero diuinitatis ærario inclusis differemus. Nolite arbitrari qualem qualem hanc oliuam es-
Eccli. 24. 19. se, sed, vt vocat Iesus filius Syrach, *speciosam in cã-pis*; vtpote cui dictum ab ipso Deo; *Quàm pulcra*
Cant. 4. v. 1. & 7 *es amica mea, quàm pulcra es? Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Fallax (inquies) forma & vana est pulcritudo. fateor si sterilis bonorum. Ad oliuæ nostræ pulcritudinem laus maior accedit liberalitatis. *pullulantem* idcirco idem Syra-
Eccle. c. 50. 12. cides nuncupauit. Quot millia virginum Deiparæ exemplum germinauit? ceteris abstineo. quantum eius Sodalitia plurimis in locis assiduè augentur?

1. ex philologis & Theologis,

oliua laus quæ?

si pulcra,

pullulans,

augentur? Pullulatio hęc oleæ Marianę eſt. Oleaſter Eua fuit, pullulat toto quotidie mundo in omnibus, qui veteratori colubro creduli obtemperant. Felices profectò qui ex hoc naturali oleaſtro exciſi, per gratiam in bonam hanc oliuam inſerti, ſocij radicis & pinguedinis eius facti fuiſtis. Rom. 11. v. 17.

Digna lætitiæ cauſa, & magnificādi diuinam bonitatem: danda tamen opera, ne quis contra ramos, qui nōdum inſerti, glorietur. Apoſtolus cla- v. 18.

» mat, *Noli altum ſapere, ſed time.* late ſub tegmine v. 20.
» oliuæ tuæ, ô felix inſitio;
» —— ſicut Parnaſſia laurus Geor. 1.
» Parua ſub ingenti matris ſe ſubiicit vmbrâ.

Late, & curam gere tui metuens ne degeneres, & naturâ recurrente rurſus oleaſter fias. S. Irenæus Martyr prodidit, oleaſtro ſimiles eſſe homines: diligenti curâ & inſitione olearum fructum proferre: incuriâ & neglectu oliuitoris ſilueſcere & in oleaſtrum redire: oleaſtrum verò cælorum regno excludi. Nūquam DOMINA noſtra fuit oleaſter. ſemper *oliua* & quidem *ſpecioſa*; nec ſpecioſa tantùm, ſed ſimul *pullulans*; nec *pullulans* dūtaxat, ſed præterea, vt ait Pſalmiſta, *fructifera*, non mundo nec carni, ſed Deo; *fructifera in domo Domini.* quod paucis, ſed ornatè & plenè Damaſcenus explicuit, ἐν τῷ οἴκῳ θεοῦ φυτευθεῖσά τε καὶ πιανθεῖσα τῷ πνεύματι, ὥσει ἐλαία καταύχαρπος, πάσης ἀρετῆς καταγώγιον γέγονε. πάσης βιοτικῆς καὶ σαρκικῆς ἐπιθυμίας τὸν νοῦν ἀποσήσασα. Dicit in domo Dei plantatam, & impinguatam ſpiritu, inſtar oliuæ fructiferæ; omnis virtutis factam ſtationem, & ab omnibus curis ſæcularibus & carnalibus animum procul remouiſſe. ô fertilem oliuam, omni plenam gratiâ & virtute, omni vacuam culpâ & delicto! ô fructuoſam oleam, cuius oleo ſudant trapetes

libr. 5. contra hæreſes.

fructuoſa. Pſal. 51. 10.

petes Eccleſiæ militantis, radiant incolæ triumphantis? Non minima commẽdatio oliuæ, quod in ſacrâ parabolâ ſiluarum illi principatus ab arboribus primò deferatur, ante ficum, ante vitem. cur niſi vt præſtantiori? alioqui cùm ficui dulcedo, viti lætitia detur, non oleæ vſus & pinguedo ſoli tribueretur. nimirum quanto iucundis vtilia meliora, tanto ceteras arbores oliua præcellit. carica ſuaui ſenſu afficit, botrus lætitiâ perfundit: oleum, Euſebio & Bernardo teſtibus, paſcit, lucet, vngit, feſſos ſubleuat, laſſitudinem demit, inunctos hilares facit, non ipſum tantùm nitidum & ſplendidum eſt, ſed delibutos quoque facit niteſcere & ſplendeſcere. Nónne oleo ſuo, oliua noſtra, lucet prædicata, paſcit recogitata, lenit & vngit inuocata? feſſos ærumnis ſubleuat, moleſtias & ægritudines animi, nec raro corporis deterget? quotquot deuotionis eius internâ pinguedine inunguntur, ſpirituali ſic omnes lætitiâ iubilant, vt in faciem ſæpe hominemque exteriorem totum, mira quædam morum compoſitio & ſerenitas, interioris pacis index, erumpat? Venio ad quædam olei ſpecialia minùs nota, in oleo Mariano longè illuſtriora. Qui ſecreta naturæ rimantur, editis ſcriptorum monumentis prodiderunt; braſſicam & ſimiles plantas, quæ ceterarum ſuccum omnem rapiunt & abſumunt oleo necari infuſo; nullas oleo beſtiolas innaſci, ſed eodem vermiculos etiam leguminibus noxios interimi; vino vel alterius generis liquori ſuperadditum, ne vapeſcat vel corrumpatur præſeruare. prudentiſſimeque veteres quàm intus mulſo, extrà frequentiùs oleo vſos; ſic enim rara corporum denſiora reddita, ne paterent ventorum iniuriæ; quæ contra nimis denſata, laxiora facta, & contra

Iudic 9. 8.

cuius fructus vtiliſſimus ad plurima

corporis &

animi.

Euſeb. lib. 4. de dem Euang. c. 35. Bernar. ſer. 15. in Cant

Leuinus Lémius lib 2. de occult. natu. miraculo, c. 51.

Mirase tiam ha ber & ar canas ef ficacita teri.

fuliginum de corruptis humoribus naſcentium ſtrangulationes munita. Morbis quibuſdam inſolitis & confeſtim de medio per cerebri ſiccitatem tollentibus, ſolâ olei & vini inunctione ſalubriter occurri. cutem oleo probe delibutam, venena & erodentia cuncta pertinaciter reſpuere. Quinetiam olei vi magnâ potatâ, intereſtinũ iam virus, & viſcera populans, infringi, hebetari, cogi in arctum, ne per venas diffundatur, ac tandem valido cum vomitu expelli. Nónne ſtupẽdæ ſunt rei tam communis, tam parabilis virtutes? Nónne admiranda eſt & veneranda Dei miſericordia, quæ nobis remedium tam ſingulare, vbique fere ad manum eſſe voluit? An animas negligeret, qui ſic corporibus proſpexit? Non, neglexit (SODALES). *oleum* noſtram ſpiritualem nobis reliquit; quæ penitus profligare ſolet ex animis cupiditates illas perniciosas, & inſatiabiles, ſemper raucum ADFER, ADFER, CORRADE, CONGERE, CONSERVA, concinentes: in quâ nullæ leuiſſimarum culparũ beſtiolæ potuerunt vnquam innaſci; & à famulis ſuis tam moleſta vermina poteſt & vult fugare: cuius *oleum* cogitationibus noſtris ac ſermonibus inditum, aërem noxium prauæ intentionis arcens, & putentem virulentæ linguæ repellens halitum, præſtat ne quid putredinis in mẽtibus noſtris, aut ariditas indeuotionis oriatur. quid hæreo ceteris recenſendis? Miraculorum ſit omnium ignarus; qui non paſſim legerit vel audierit, à quot millium corporibus venena multiplicia, & morbos medicis conclamatos depulerit, quot etiam animabus peccato vel languentibus, vel emortuis Marianum oleum fecerit medicinam. Cui nam quæ auxilium rite poſtulanti defuit? quem fidentem ſalutis vel opis indigum

Vide exemplum apud Xiphilin. ex libr. 55. Dionis.

gum destituit? Nolo densissimam veracium exemplorum subire siluam, cui cædendæ iam obtusa securis mea, tam exiguo, quod supereſt, tempore non sit suffectura. Restat *olei* laus vna non incognita, sed tamen notatu dignissima; ceteris liquoribus id celeriter supernatare. Olei sui virtute nunc intueamur aquis omnibus emergentem *oliuam* nostram, & super omnes cælos exaltatam: In orbis creatione statim Deus *aquas ab aquis diuisit, eas quæ erant sub firmamento, ab iis quæ erant supra firmamentum.* corporeæne illic aliquæ sint, nunc non quæro: spirituales video quasdam firmamento superiores, quasdam inferiores. Inferiores nos sumus, homines viatores; qui sicut aqua dilabimur. Superiores voco, cælestis patriæ felicissimos inquilinos. Istis inferioribus supernatans enatat, quisquis quo gratiæ Dei particeps est momento, migrat de vitâ. Si purgatione non amplius indiget, confestim errones illos septem præterit; inde cælestes superat orbes omnes vsque ad empyreum cælum. ô si frequentes MARIAM meditatione feruenti comitaremur ascendentem? Post filij in cælum Ascensionem beata ista anima ardenter ad exodium temporariæ huius vitæ anhelans, & continuè magis in amato quàm in amante degens, per maximam vim amoris, per desiderium ardentissimum, per iugem & intentissimam cõtemplationem, per spiritualium consolationũ magnitudinem, multitudinem & acrimoniam, sic paullatim glutinum illud dispositionum quo corpus animæ colligabatur debilitauit, & quasi pessundedit; vt animam corpus diutius nequiuerit continere. Soluta vinculo corporis anima, statim Deum vidit, & intuitu diuino beata, fidissimum suum cooperatorem, qui nullâ vn-

Quare victima supernatare aquis.

hæc hodie laus MARIÆ propria, cuius triũphus & assumptio describitur

Genes. 1. 7.

Nõ hũc literalẽ sensum puto (abhit) my sticũ, & à mente Origen. me alienũ pro fiteor.

quomodo mortua?

Vide Franc. Zuaré in 3 q. 10. 2. q. 57. a. 4. disp. 21.

quam in re ſe refractarium vel cunctatorem præbuerat, poſt triduum ſeparationis læta lætantem inuiſit, eiq́ue ſe inſerens viuificauit, & gloriam illi ſuam, quâ iam tribus prædita diebus, impartiuit. Quis enim locus eſſet in terris, vbi fas aſſeruari vbera, quæ Deum lactauerunt; viſcera, quæ Deum genuerunt; vlnas, quæ toties Deum baiularunt? Aderat reſurgenti Filius; cui enixa cœpit in cælum euolare. Nullus exiſtimet vel pennis ventorum, vel manibus Angelorum ſubuectam. ſomnia ſunt iſta, vim glorioſi corporis, quod ſuopte remigio fertur in altum, & dotes eius, ignorantium pictorum. Matrem gnatus deduxit innumerabilibus cęleſtium ciuium agminibus ſuauiſſimè concinentibus comitatus. Adſcendentis ſe Luna pedibus ſubſternit: ô felix ſuppedaneum! Sol eam purioris auidus lucis circumdat: ô cycladem beatam! duodecim ſtellæ, diademate micante caput coronant: ô ſertum Ariadnæo fulgentius, corona diadematibus & thyaris omnibus pretioſior! Tranſgreſſam firmamentum, & Empyreum cælum ingreſſam, adorant cæleſtes omnes ſpiritus. Primi occurrunt imæ ſtationis *Angeli*; mox *Archangeli*, denique *Principatus*, & proni Reginam ſuam venerantur. Non tenet illam primus hic ordo Hierarchicus, ſecundus excipit, ibi potentiam eius *Poteſtates*, virtutum præcellentiam *Virtutes*; ſummæ ſemper dominantis deitatis maximam participationem collaudant *Dominationes*. Secundam quoque præteruecta Hierarchiam, fertur per tertiam; ibi cedunt loco *Throni*, vt ab omni terreni affectus vilitate longiùs remotæ, & circa Deum totis viribus magis inconcuſſæ & ſtabilitæ: cedunt *Cherubini*, quòd cernant ab eâ ſe, ſcientiâ, ſapientiâ, & diuinæ lucis

quo pacto reſurrexerit, & aſcenderit in cœlum.

quomodo ab Angelis honorata?

Et D. Dionyſ. de cæl. Hierar. c. 8. & 7

cis

eis claritate plurimis gradibus ſuperari: cedunt *Seraphini*, amoris ſui igniculos, præ *Mariani* amoris ardentiſſimis flammis, algere conſpicientes. quomodo coronata? Sic præterue&ctam Filius coram ſolio Trinitatis genitricem ſiſtit. Trinitas cæli ac terræ Reginam coronat. Qui tunc plauſus, cantus, gaudia cælicolarum? Non tentabo. ſenſus humani cæleſtia gaudia non capiunt. Quis ſplendor illic, quæ gloria, quæ beatitudo MARIÆ? Hîc Rhodus, hîc ſaltus. quis verba, quis det penicillum, quo vel vmbram aliquam ſplendoris huius, ſaltem ſine lumine, queam delineare. Quid agam, eloqui nõ valeo, quod mente concipio tali autem die tacere erubeſco. Scio quid faciam: vt qui radios Solis, in ipſo non ferunt Sole; in ſpeculo vel aquâ limpidâ inſpiciunt: ſic ego, quod in tam nequeo gloriosâ, hoc in ipſis quas ſupernatat aquis, aliorum inquam gloria, conabor intueri. Et cùm facultas deſit iſtud ipſum eloquendi, ſequar calculatorum morem; qui ſummas ingentes ære contrahunt breuiore. faciam quod ſolent ſigillorum ſculptores, qui res vaſtitate maximas perexiguo gemmulæ orbiculo repræſentant. Signabo lineamenta tantæ gloriæ, ſubducam ſolummodò breuem ſummam. Si de beatitudinis intrinſecæ fruitione quæras: ſuperat omnes omnium creaturarum beatitates. Beatitudinis eſſentiam, qui rectiùs ſentiunt, in clarâ Dei viſione ponũt. MARIA Deum ipſum videt clariſſimè; & in Deo videt quicquid optat videre. Vnde fit, vt Deum quoque amet ardentiſſimè, non tam ſibi vt illo fruatur tanquam ſummo bono, quàm merâ caritate Deo: non ſuâ, ſed dei causâ congratulans, cuncta quæ poſſidet bona, quid autem nõ poſſidet Deus? Hinc ſimul immẽſo gaudio repletur; quia ſe ſum-

Quanta eius beatitudo?

Eſſentialis,

num istud bonum possidere cognoscit; multoq; ampliùs, quia Deum cernit plurima in creaturis, sed infinitiès plura in semetipso possidere. Præterea videt quicquid homines & Angeli omnes vident, cuncta nempe naturalia arcana, species rerum omnium productarum & producendarum aliquando, siue in causarum naturalium potestate contineantur, siue ab legibus solutâ Dei potentiâ dependeant. videt, vt arbitror, singularia quoque omnia, quæ creaturarum vllus videt; & quicquid ad prædestinatorum salutem, vel effectus gratiæ potest pertinere. Vno dicam verbo, videt, quicquid scientiâ visionis omnipotens videt, demptis dumtaxat, quæ priuatim ad CHRISTVM eiusque cogitationes interiores spectant: & quicquid videt, quod creaturæ quoque vident, id videt clariùs, cognoscit apertiùs, & perfectiùs comprehendit. vt non iniuriâ dicatur Sole amicta, quæ profundissimum diuinæ sapientiæ cunctis altiùs abyssum penetrauit; & quantum creaturæ fas est, luci huic inaccessæ adpropinquauit. Quare nõ dubitauit B. Germanus asserere, ipsam in cælis omnia obseruare, omnia intueri, & inspectionem eius ad omnia se porrigere. Aliam beatorũ gloriam, accidẽtariam appellant. Quanto maior est illa secundùm essentiam; tanto hæc quoque maior existit. Adspice animam Deiparæ. nónne cernis in eâ cũctis beatis communia quædam, licet non eâdem mensurâ in omnes diuisa, vt quæ fiunt extra verbũ reuelationes, effectuum multorum impetrationes, gaudia de felici Ecclesiæ successu, & quæ talia multa; nónne cernis ista cumulatiùs, abundantiùs, perfectiùs ei concessa? Particulares deinde quorumdam munerum ac personarum prærogatiuas, nónne cunctas inuenis in hoc

Serm. de Assumptione.

Accidẽtaria.

in hoc thesauro? Lauream virginitatis in Virginum Virgine, doctrinæ sertum in magistra fidei & Doctrice Doctorum; & martyrij coronam, in eâ quæ filium offerens, & in filio patiens, martyrij decus, & Martyrum Martyr effecta? Corporis dotes quid memorem? quanta & qualis *claritas*? vt ab orbis Solis radij, in hoc gloriæ tabernaculum, in quo Sol Iustitiæ tamdiu habitauit, se se diffundit! ô quanta corporis huius *agilitas*? vt eo animus ad omnem quem vult motum arbitratu suo celerrimè vtens, sine vllâ defatigatione, pondus omne grauitatis deuincit! quis non speret ab eâ certum & expeditum auxilium? ô quàm efficax corporis huius *subtilitas*, & penetrabilis acies; quam nec soliditas vllius obstaculi, nec vlla moles corporearum dimensionum repellere potest aut arcere! & cordis humani glacies vel silex potius, monenti mouentique resistat? ô quantus in hoc corpore vigor incorruptionis, & ad vitæ futuræ perennitatem adaptans, omnemque noxam respuens *impatibilitas*! quem non delectet fidei nostræ spes, fore aliquando vt & huic corpori, non æquales, sed similes efficiamur? Tale nunc oleum Mar anum, tale has omnes aquas supercælestes transcendit. ceteri mortales vel sub Angelicis choris, vel inter illos, pro cuiusque meritis, constituuntur. Sed mortales omnes famuli sunt: Angeli ipsi, spiritus sunt administratorij. Reginam ac Dominam super omnes decuit exaltari. Sed nec vllum vnquam decebit tanta gloria. Dico fidenter, non potest Deus, si meritum attendas, vlli tantam vel maiorem hac gloriâ largiri. Nihil diuinæ (SODALES) potentiæ detraho. crimen hoc absit ab auribus vestris, abest à mente meâ. Nulla purarum creaturarum mereri potest, quantum MARIA. Nam illa-

Locus de cælo MARIÆ.

An possit pura creatura gloriosior esse?

illarum nulla mater Dei esse potest, quod est MARIA. hoc meritum puræ creaturæ meritum omne superat. quia cùm maternus amor omnem superet amorem, nulla Deum æquè creatura poterit amare, ac amauit MARIA. caritati verò meritum & gloria respondent. Fateor Deum posse quauis re creatâ melioré aliam simpliciter creare: sicut tamen nec beatitudine creatâ potest melius bonum, quia fruitio est Dei infiniti boni; nec humanitate CHRISTI, quia diuinæ vnita est naturæ, potest melior humanitas à Deo produci: sic etiam contendo, nec CHRISTO filio, filium meliorem; nec beatâ Virgine, quæ Deum peperit, matrem posse fieri meliorem vel perfectiorem. bonitas enim & perfectio istorum sumit dignitatem infinitam à bono infinito, nempe Deo; quo quia nihil esse potest melius, nihil etiam illis potest melius cogitari. Nec video quid de B. Virgine possim adiicere quod hac dignitate & gloriâ non sit indignum. Laudationis igitur hodiernę sit ista coronis: ne dum conamur addere, dictis, detrahamus.

D Tho. 1. P. q. 25. a. vlt. ad 4.

O vtinam (SODALES) dies nullus prætereat, quin aliquid olei ex hac oliuâ nobis exprimamus, vt malis nostris quotidianis remedium salutare adhibeamus! Gracculum scribunt (nostis auem) cùm cubitum se recipit, ex oliuetis duas pedibus baccas, tertiam ore deferre. Quid obstat, quin quotidie nos quoque tres baccas nobis decerpamus, vnam factis, dictis alteram, tertiam cogitationi? Cogitet fors aliquis, an ergo MARIA sic exaltata dumtaxat quia mater Dei? Neutiquam; sed quia (quæ Dei in illam munificentia) virtutibus digna fuit; vt ad maternâ hanc dignitatẽ assumeretur. Virtutũ istarum regina Caritas: sed tot radicis huius rami, vt plurimis orationibus singulos

Festus Pomp. in voce Graculi.

Olea mi fers ordia fien sea- tur.

gulos describere satis digne nequeamus. De misericordiâ tantũ nunc quędam, quam per *oleum* denotari, Sancti Hilarius, Ambrosius, & Chrysostomus tradiderũt. Quis MARIAM super cælos eleuauit? Deus. cur? ait ipsa: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Quomodo nõ misereretur matris misericordiæ? Magnes misericordiæ, ipsa est miseratio. Beatos Christus misericordes dixit, quoniam misericordiã cõsequẽtur. Pythagoras olim docuit similia nõ nisi à similibus comprehẽdi; & Empedocles luculẽter, interprete Chalcidio Platonico,

Hac virtus MARIAM sustulit sũ alte.

Hilar. can. 5. in Matth. Ambr. in psal. 118. ser. 14. & Chrys. hom. 32 in ep. ad Hebr. Luc. 1.

In Timæum fol. 22.

„ Terram terreno comprendimus, æthera flãmis,
„ Humorem liquido, nostro spirabile flatu,
„ Pacem tranquillo, litem quoque litigioso.

Ad eam adhortatio.

Misericordiam vis consequi? hamum iace misericordiæ opera. Oleum poscis ab oliuâ? decet te qui frugiferæ ramus insertus es; olei baccas proferre. Mercatu isto non nisi simili simile paratur, oleum emitur oleo. Verùm duas hîc video remoras se currenti cymbæ applicantes. remouendæ priùs quàm cursum sistant. Vna, ne des; altera saltem vt malè hortatur. Prior reuocat obiecto paupertatis metu. Noli audire. huic si credis, Dei promissis non credis; audi potiùs poëtam Christianum, non poëtam hîc, sed Euangelistam:

Remoueꝫtur obstacula;

Nõ dare, velle. &

Prudẽt. in Psychomac.

„ Confidunt volucres victum non defore viles,
„ Passeribusque subest modico vænalibus asse
„ Indubitata fides; Dominum curare potentem,
„ Ne pereant. tu, cura Dei, facies quoque Christi,
„ An dubitas, ne te tuus vnquam deserat auctor?
„ Ne trepidate homines. vitę dator, est dator escæ.

Metus hic ex diffidentiâ, & ex ignoratâ misericordiæ

ricordiæ naturâ naſcitur. Prudenter Clemens Alexandrinus, illam comparat puteis, qui quo ſæpiùs exhauriuntur, vberiore & puriore ſcaturigine replentur: comparat etiam papillis puerperarum ſororiantibus. deſit qui lac eliciat, ſpiſſeſcet liquor, & exareſcent lagunculæ: ſit lactens qui ſugat, & mulgeat; nouis ſemper riuulis implebuntur. Quem vnquá vidiſti eleemoſynis datis pauperiorem fieri? multos Eucliones reperias, quos auaritia ad incitas redegit. certat Deus cum liberalitate noſtrâ, nec poteſt munificentiâ vinci. teſtis eſt Heliæ hoſpita, cuius pugillus farinæ in hydria nõ defecit, & paullulum olei in lecytho non fuit tam longo tempore famis imminutum. teſtis vidua Helizæi ſupplex, cuius oleum non ſtetit, donec ipſa in oblata vaſa defundere ceſſauit. Altera peſtis ad malignè dandum hortatur Malignè dant, qui quę nauſeant, quibus carere malunt, & dominis ſunt ſenio, pauperibus elargiũtur. hoc non eſt oleum, ſed (quod Baruch improperat) *oſſa olinarum offerre*. Deus ad Caim & munera eius nõ reſpexit, quia viliſſima de terræ fructibus offerebat, qui poterat meliora. Parum potes, ſufficit multum voluiſſe: multum potes, caue velis parum. Spreti non fuerunt, qui ſimilam, ſetas, aut pilos caprarum obtulerunt. deerant enim meliora. Sed ſi aurum habentes iſta obtuliſſent, (ait Chryſoſt.) maledicti protinus fuiſſent. Quidam non malignè dant, ſed parum cauent ne ſaporem eleemoſyna vitioſum contrahat. hoc accidit, vel quia ſunt ipſi carnis ſordibus conſpurcati, vel ſcopum non bonum operi prefigunt. Sordes illæ non modò liquorem olei impurant, ſed ipſam etiam oleam reddunt infructuoſam. Memini me legere apud veteres Geoponicos, Florentinum, ni fallor, & haut

lib. 3. Pædag. c. 7.

3 Reg. 17.

4. Reg. 4

Perperã dare, fit hoc modi tribus.

Dantis malignitate,

c. 9. v. 41

turpitudine ſeu ſordibus

d. ſer. 31

Conſtãt. in Geopon lib. 6.

& haut scio an Rutilium Taurum; Ciliciæ populos Anazarbæos opimam regionis suæ oliuitatem acceptam ferre virguncularum castitati, quæ solæ illic oleam legebant. nec consultum ab aliis legi, vel plantari. Maritos tamen non remoueri solitos in aliis regionibus; si à licito thoro surgerent. ideo lecturis oleam, iusiurandum propositum; se non aliunde quàm à suâ coni e venire. Quod si citra periurium dictum; vberiorem subsequentis anni prouẽtum futurum. Nobis certissimum, oliuam nostram impuritatis vel vmbram auersari, nec oleum benedictionis suæ vnquam illis infundere, qui sordidati voluptatibus lutulentis. Sunt alij satis continentes; sed quia videri amant & laudari, vanitatis circumstantium saporem trahunt. sic oleum, testatur Aristoteles, rerum propè sitarum saporem recipere. cur sciuit læua, quid faceret dextera tua? (miser) te Iobus comparat oliuæ florem proiicienti. Rationem D. Gregorius reddit, hanc arborem cùm floruit, si à nebulâ tangitur immoderatâ fructibus euacuari. Ita quoties qui incipiunt bona opera, ab aspicientibus gaudent laudari; toties caliginem eorum intelligentiæ offundi, vt iam discernere nequeant, quâ quid intentione faciant, & fructũ perdant operis velut ex nebulâ fauoris. Sic (vt cũ Tertulliano loquar) de oliuæ nucleo mitis ac opimæ, & necessariæ, asper oleaster exoritur; quemadmodum de papauere gratissimæ & suauissimæ fici, ventosa & vana caprificus exsurgit. Heu, quoties sic *deficit oleũ de capite nostro* cõtra præceptum Salomonis? quoties fit, quod queritur Michæas, vt *calcemus oliuam, & non vngamur oleo*! quoniam, vt ait Ioël, *elanguit oleum*. quoniam, vt asserit Habacuc, *opus oliuæ mẽtitur*. Parui hanc iacturam mundani faciunt. sed aliud

aut vo- nitate & ambitio- ne.

Ibt. de Somn. c. 1.

Iob 15. 33.

libr. 12. Moral. c. 16.

lib. aduers. hæres. c. 36.

Eccles. 9. 8.

Mich. 6. 15.

Ioel 1. 10.

Abac 3. 17.

Commendatio operum misericordiæ. aliud est Dei, aliud mundi iudicium. Israelitæ censebant beatam Aegyptum, quòd illic crescerent vineæ, ficus, & malogranata. Deus cùm terræ fertilitatem commendat, oliuæ non obliuiscitur. Nil sine hac Deo placuit, nil vnquam placebit. Titulum dedicat Iacob, fundit oleum desuper. Omnia tabernaculi vtensilia & vasa, & oblationes omnes oleo Moses iubet inungi. In Salomonis templo, postes, ostiola, Cherubim, cuncta videtis de lignis oliuarum. Cur putatis? quia nec munus vllum nec officium Deo gratum, nisi pacem cum fratre colas: nec ingressus in cæli atria patet, nisi per misericordiæ ianuam; & qui hoc remigio alarum subleuātur, facilè vel ad ipsa Cherubim euolabunt. an & ideo CHRISTVS Dominus ex oliuarum monte in cęlum conscendit? Iubet Ezdras nos oliuarum frondem Deo offerre: saltem animo misereri. Aggæus florē poscit præterea. Si re non potes, pauperem spe bonâ & alloquio iuua. Habes vnde? sucum fundas oportet, & cum virginibus sapientibus oleum sit in lampade tuâ. ô quanti nobis hic sucus emendus, si excellentiam valoremque eius calleremus! Dicam paucula de plurimis. Ceruus æger ramusculos oleæ mandit, & sanus fit. Locustas olei arrosa folia ab ægritudine liberant. Misericordia morbos animi cunctos tollit, quia peccatum delet, horum morborum causam; & proinde quoque mortuam animam reducit ad vitam, vt Tobias, Daniel, & Ecclesiasticus contestantur. D. Cyprianus vocat securitatis nostræ salutare præsidium, quo promeremur CHRISTVM iudicem, & Deum computamus debitorem. Addit D. Ambrosius, plenitudinem hanc esse virtutum, & ideo propositā cunctis perfectæ virtutis formam. Quis non festinet,

quia finc hac mihil Deo placet.

Num. 10 v. 5.
Deut. 8. v. 8.
Gen. 28. 18
Exod. 29. & 30.
3. Reg. 6
Act 1. 4.
Matt. 28 v. 16.
2. Esd. 8. 15.
Aggæ 2. 10.

Morbos animi omnes tollit, & peccato mortuos suscitat Deū facit debitorē, & alia multa quæ de illa Patres, Cyprianus, Ambrosius,

Ambr. libr. 5. Hexa. c. 8. & lib. 6. c. 4.
Tob. 4. 11. Dan. 4. 24. Eccles. 29. 15.
Ambro. lib. 1. in Luc.

Deum

Deum sibi facere debitorem, tam bonum nomen? quis non sic compendio virtutem omnem
serm. 30 amet consequi? D. Maximus audet cum ipso baptismo pariare. Lauacrum semel dari, & semel Maximus.
» veniam polliceri; Eleemosynam verò quoties fe-
» cerimus, toties nos veniam promereri. B. Cæsa-
hom. 13 rius Arelatensis fusè docet, quàm lucrosa sit ista Cæsarius.
» negociatio. Incomparabiliter (inquit) plus est
» quod pro paupere recipis, quàm id quod pauperi
» largiris. Das pauperi nummum, & à Christo reci-
» pis regnum. Das buccellam, & à Christo recipis
» vitam æternam. Das vestimentum, & à Christo
» recipis remissionem peccatorum. ô felix permu-
tatio, quâ non aurea pro æreis cum Homerico
Diomede; sed pro luteis aurea, pro finitis infinita,
pro perituris nanciscimur æterna? I nunc (sodes)
& tanti fac vitrum quanti margaritum. Sic nobis
cælum panditur, sic alæ succrescunt, quibus vt
columba in altum euolemus. Nam eleemosynæ,
d. ho. 32 Chrysostomo docente, amica est Dei, & semper Chrysostomus.
» ei propinqua. huic cum multâ fiduciâ cæli ape-
» riuntur, & veluti Regina intrante nullus ianito-
» rum, nullus custodum, qui portis assistunt, audet
» dicere; Quæ genus? vnde domo? Regina est, verè
Regina similes faciens homines Deo. *Estote* (inquit) *misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* quis auderet hoc dicere, nisi de scripturis sanctus iste prompsisset? tamen idem & pressiùs dixerat antè D. Gregor. Nissenus, miseri cor- N. Sse-
libr. de beatitudin. oration. des quasi diuinam induere naturam & maiesta- nus.
tem. Subdit Chrysostomus, Pennata est & valde
Psal 67. leuis, habens alas aureas & volatum. *Penna sicut*
» *columbæ deargentatæ, & collum eius in fulgore auri:*
» nitet magno decore festiua, & nihil est oculis eius
» melius. pulcher quidem est pauo, sed in eius

compa-

comparatione deformis. & huiuſmodi multa ſubdit, quæ ſi quàm vera, tam eſſent omnibus perſuaſa, innumerabiles virtus iſta procos & honeſtatis aduentores numeraret ſuæ. Verſetur ſaltem nobis ante oculos extremus ille iudicij dies. miſericordiæ tantùm examen illic & quæſtio. Tunc ſpeculorũ Deus naturam imitabitur; quorum quæ veriora, meliora, & exactiora ſunt, vultum repræſentant talem, qualis eſt vultus; turpis deformem, ſpecioſi formoſum, alacris hilarem, triſtis mærore plenum, irati ferocem, timidi demiſſum & abiectum. Speculi iſta bonitas & laus inſpicientis culpa cenſetur; ſi fædus & indecorus appareat. Ita iuſtiſſimum Dei iudicium, & iudicis ipſius vultus noſtris affectionibus ſeſe aſſimilabit. qualiacunque à nobis commiſſa fuerint, talia tunc ab illo diuino ſpeculo noſtris oculis obiicientur ſpectanda. Si duri fuimus & immiſericordes, talem Deum cernemus, & terribile quaſi in breuiculo vel tabellâ decretum legemus; *Ite maledicti in ignem æternum.* Si verò proximis noſtris miſericordiæ viſcera patefecerimus, per patulum, hians, roſeum vulnus lateris in penito Chriſti corde cernemus inſcriptum, mellitiſſimum illud; *Venite benedicti*, tunc mater amantiſſima, columba Dei columbinos ſuos pullos in altum euolantes manu voceque iuuabit, tunc oliua ſpecioſa ramos non degeneres agnoſcet: erit enim *quaſi oliua gloria noſtra.* nihil percuſſor Angelus poterit nocere, cui diſertè præceptum; *Vinum & oleum ne læſeris.* Licebit iudici dicere; Da, quia dedimus; te, quia tuâ causâ dedimus. miſerti ſumus aliorum, noſtri miſerere. fecimus quod iuſſiſti, imple quod promiſiſti. Tunc nobis iuſtitia noſtra reſpondebit; impetrate quod petitis, quia iuſta petitis.

PERORATIO propoſitionem vltimum iudicij, & operationis eiuſdem.

Niſſen. ſupra.

Oſe 14. 7. Aporap. 6. 6.

Gaudet. d ſer. 15

titis. offertis mihi miſericordiam, quæ præmium capere poteſt: accipite præmium quod precio æſtimari nõ poteſt. fragmen panis famelico dediſtis? nunc me ſaturamini, qui panis ſum vitæ. Peregrinos tecto excepiſtis? conciues vos facio Angelorum. vili lana vel lino fouiſtis nudorum algentia membra? nunc liberati à frigore, in quo fletus & ſtridor dentium, veſtiemini ſtolâ nouâ immortalitatis. oculus cæco, claudis ſcipio, manus debilibus fuiſtis? nunc manus veſtræ confortabuntur, plantæ ſolidabuntur inoffenſæ, fulgebitis ipſi ſicut ſol & lux ſempiterna non auferetur à vobis. miſero condoluiſtis, leuaſtis ſolatio afflictos, nexos liberaſtis? venite dilecti, ingredimini in præparatas vobis domos, recipite conſolationem; quam fugiet dolor & gemitus, à quâ omnis abſens erit miſeria, vnde omnis captiuitas & anguſtia exulabit, in quâ, iactatâ retro morte, quicquid antè fuerit, vita erit; in quâ, ſicut auctoris veſtri perennitas initium non habet, ita veſtra felicitas terminum non habebit. DIXI.

Euſeb. Emiſſ. ho. vlt. quæ eſt de paupere vidua.

Habita LOVANII, M. D. XCV.

Cuncta ſacræ, Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ iudicio ac cenſuræ ſubmitto.

Martinus Delrio Societatis IESV *presbyter.*

POTESTATEM *edendi in lucem hos* XIII *Marianos Panegyricos fecit R. P. Oliuerius Manareus Belgij Viceprouincialis, litteris datis Duaci,* XI. *Iulij,* M. D. XCVII. *iuxta facultatem ei conceſſam ab Adm. R. P. Claudio Aquaviva Societatis* IESV *Præpoſito Generali.*

HI de laudibus ſacratſſimæ Virginis Deiparæ Panegyrici XIII. editi a R^do Patre Martino Delrio Societatis IESV Presbytero, eruditiſſimi pientiſſimiq́ue ſunt, ac cum fructu & ſpirituali profectu à Catholicis omnibus legentur. Quare meritò ac vtiliter imprimi poſſe iudico. Datum Antuerpiæ, IIII. Id. Iulij, anno M. D. XCVII.

Silueſter Pardo S. Theolog. Licent. Cathedralis Eccleſiæ Ant. Canonicus, librorumq́; Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII
REGIS HISPANIARVM.

PHILIPPI II. Hiſpananiarum Regis, Brabantiæ Ducis, &c. Priuilegio cautum eſt, ne quis citra Ioannis Moreti, Typographi Antuerpienſis, conſenſum, *Florida Mariana, ſiue* XIII. *Panegyricos de laudibus ſacratiſſimæ Virginis Deiparæ, Auctore R. P. Martino del Rio Societatis* IESV *Preſbytero*, vllo modo imprimat, aut in ſuas ditiones apud alios impreſſos venales importet: vt latiùs patet in litteris, Datis Bruxellæ, 16. Auguſti. M. D. XCVII.

Signat.

Faculvez.

PRIVILEGIVM ILLVSTRISSIMI EPISC. LEODIEN.

ERNESTVS DEI *gratia electus & confirmatus Archiepiscopus Colonien. Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius & Princeps Elector, Episcopus Leodien. Administrator Monasterien. Hildeshiemen. Freisingen. & Stabulen. Comes Palatinus Rheni, Dux vtriusq Bauariæ, Angariæ, Vvestphaliæ, & Bullonen. Marchio Frachimonten. Comes Lossen. Longien. &c. Singulari priuilegio cautum & sancitum est, ne quis cuiuscunq. ordinis, status, aut conditionis fuerit,* Marianas R. P. Martini Antonij del Rio, *per Ioannem Moretum Typographum Regium proximo anno* M. D. XCVIII. *edendas, infra decennium à dicto tempore computandum, quacunque ditionis & Episcopatus Leodien. fines patent, coniunctim vel diuisim imprimat, aut alibi quauis characteris formâ impressas, vendat, seu quouis modo distrahat, sub pœnâ confiscationis omnium totius editionis librorum vbicumque inuectorum, adiuncta insuper pro singulis exemplaribus aurei valoris trium florenorum multa,*

quorum

quorum primus Fisco, alter executori, postremus vnà cum omnibus impressis aut alicubi inuectis libris, dicto cedet Moreto, quæ ille vbicumque locorum nactus fuerit, per se, vel per suos adiumento Magistratus loci, vel citrà, propriâ auctoritate sibi vendicare poterit. Datum Arenspergij, sub nomine & sigillo secreto nostris, die 4. Decemb. 1597.

Ernestus.

Lectori candido S.

ERRATIS *qui caret, ne ignoſcat. tu homo es, parce homini. quod tibi vis fieri, alteri feceris. accipe grauiora errata, nam leuiuſcula non eſt quòd vllum morentur; quæ etiam* qui nondum ære lauantur *facilè aduerterint.*

Pag. 22. tibi, *ſcribe*; ſibi.
31. Erman, *ſcribe*; Herban.
43 CX. *ſcribe*; XC.
CXV. *ſcribe*, XCV.
48. ad pecul. *ſcribe*; ac pecul.
55 cuius, *ſcribe*; huius.
denota, *ſcribe*; deuota.
66. cum filio, *ſcribe*; poſtea cum filio.
71. hiare, *ſcribe*; hiare incipiunt.
81. in margine מרן *ſcribe*;
מרן אטא
CXVII. *ſcribe*; XCVII.
137. aduentus, *ſcribe*; aduentum.
Aubertus, *ſcribe*; Ansbertus.
141. famulatus, *ſcribe*; famulabus.
ſcriptores, *ſcribe*; ſcriptorem.
144. perſignif. *ſcribe*; præſignificantur.
152. maſculum, *ſcribe*; maſculam.
154. turturem, *ſcribe*; turturum.
161. Quod in iis, *ſcribe*, quid in iis.
173. prætexatum, *ſcribe*; prætextatum.
181. Sunamite, *ſcribe*; Sullamite.
194. ſcitis, *ſcribe*; ſitis.
204. commeat, *ſcribe*; commeet.
207. Sunamite, *ſcribe*; Sullamite.
Sunamitis, *ſcribe*; Sullamitis.
idem error (vt & alij nonnulli) non operarum, ſed meus, corrigendus ſequenti pag.
218. gemmæ & aurum, *ſcribe*; gemma & aurum.
Quod in extimum marginem relatum fuit, id inſerendum erat ipſi contextui, hoc pacto; *Virgo caſta, & maris ſtella, & ferax oliua,* in hoc numero &c.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD IOANNEM MORETVM,

M. D. XCVIII.

LABORE ET CONSTANTIA